DE

PRÆSULIBUS HIBERNIÆ,

Commentarius.

A PRIMA

GENTIS HIBERNICÆ

AD

Fidem CHRISTIANAM Converſione,

AD

Noſtra uſque Tempora.

PER

JACOBUM WARÆUM,
Equitem Auratum.

DUBLINII,
Typis *Johannis Crook*; Typographi Regii,
Impenſis *Samuelis Dancer*.
MDCLXV.

LECTORI.

AGgredior hîc *Præſulum hujus Inſulæ Seriem & Actiones maximè memorabiles, ab exordio apud nos Chriſtianæ religionis, ad noſtra uſque tempora, verè, liberè, candidè, paucis deſcribere. Partes quidem aliquas hujus penſi, in lucem jamdudum emiſi, ſed & iis etiam non pauca nunc addidi, priùs omiſſa. Ad hoc opus perficiendum & publicandum, viri aliquot nomine, prudentiâ & fidelitate erga* Principem *ſpectatiſſimi me incitârunt, ac inprimis Reverendiſſimus D.D.* Jacobus Margetſonus, *Archiepiſcopus Armachanus, totius Hiberniæ Primas. Auſcultavi, nec invitus quidem.* Non nobis ſolùm nati ſumus. *Eóque libentiùs in hoc penſo, (quoties per otium licuit) inſudavi, tum ut memoriam Antiſtitum Hiberniæ, è quibus non pauci virtutibus fuerunt inſignes, conſervarem, tum ut viros aliquot eruditos, me potiores, invitarem, ad alias Antiquitates Hibernicas, luce dignas, quæ in tenebris hactenùs delituêre, inveſtigandas, & fide (quod aiunt) Atticâ, publici juris faciendas: unde habeant*

tam noſtrates quàm exteri notitiam rerum in Hibernia geſtarum.

Prædia Eccleſiæ, per tyrannidem, ſub truculentiſſimo illo proditore Cromwello, *ejúſque complicibus, introductam, (inter alia multa facinorum triſtiſſima exempla, ipſis Garamantibus & Indis nota) diſtracta fuiſſe & alienata, certiſſimum eſt. Hîc tamen conſtabit, piâ ſollicitudine Sereniſſimi Regis noſtri* Caroli *Secundi, regnis ſuis hæreditariis, ſingulari Dei beneficio, feliciter redditi, prædia ea (litterarum præmia temporalia) quæ* Cromwelliſtæ, *Patriæ everſores, ſacrilegâ avaritiâ, ſub ficto reformationis nomine, rapaciter invaſerant, fuiſſe reſtituta.*

Erunt (ſcio) qui me priſcorum Seculorum Antiſtites aliquot omiſiſſe, & de aliis admodum pauca retuliſſe ſubaccuſent. Cæterùm hoc non mihi vitio vertatur. De Epiſcopis illis eximiis, qui fidei doctrinam in Hibernia noſtra, primis ſurgentis ibi eccleſiæ temporibus, prædicârunt, quod parcè fuerim loquutus, hoc ſolùm dicam, quòd mihi propoſitum, pro ſuſcepti operis methodo, terminis conſtitutis, non egredi, ſed plura de iis nascendi cupidum, ad Biographos noſtros amandare. Ad cæteros quod attinet, non defuit certè induſtria mea, ſedato animo, (quantùm inveſtigando potui colligere) ad obrutam eorum memoriam reſuſcitandam, ſat verò notum, quàm multæ Tabulæ publicæ, quàm multa porrò Eccleſiarum noſtrarum Regeſta,

Regeſta, Chartæ, Annales & alia venerandæ Antiquitatis monumenta, partim per Archæotarum incuriam, partim per Bellorum rabiem, perierunt, ita ut forſan hoc ipſum quod nunc exhibeo, plus ſit quàm quiſquam à me (ut res ſe habet) jure potuerit expectare. Quicquid autem ſit, Docti & æqui Lectoris arbitrio relinquo. Atque, de conatibus hiſce meis, hæc habui quæ hîc dicerem. Dublinii, VIII. Id. Junii, MDCLXV.

In παλιγγενεσίαν *Episcoporum Hibernicorum, Pietate & Ingenio Doctissimi* Jacobi Waræi *Equitis Aurati, feliciter elaboratam.*

JAm tandem placidæ Valete Musæ,
Vos vexâsse satis diu est huc usq;
Nunquam commodiùs decentiusvè,
Da dicto veniam, superbiusve,
Expirare potest Mitrata Musa,
Quàm, Vir Docte, tuas canendo laudes,
Qùi tot luce novâ beas Mitratos.
Vitæ dum revocas Episcoporum
Manes, Heu ! nimium diu sepultos?
Waræe, Ingeniosiore cœpto
Illustrare tuam potesnè vitam?
Nec possis, mihi fide, digniore
Prolongare tuam, *Jacobe*, vitam.
" Ætatem sibi Scriptor ampliavit,
" Qui vitam dedit alteri ampliatam.
Sic dum tu renovas Episcoporum
Annos, tu numeras Episcoporum;
Elapsisq; tuis, fruere nostris:
Qui sunt, Crede, tuis perenniores.
Quid si dixero, vel perennitate?
Doctis tam facile est Deos creare.

G. L.

Honorabili Ornatiſſimoq; viro,

D. Jacobo Waræo,

EQUITI AURATO,

ET

Regiæ Majeſtati à Conſiliis ſecretioribus in Hibernia.

DIù nimis obſcurata tenebris delituit Hibernia, nec ſibi prorsùs cognita, nec aliis: diù ſatis Eclipſin paſſa eſt rudis admodùm & indigeſta; filiiſq; ſuis, peregrina, ſe vel fuiſſe hùc-uſq; dubitavit. Tandem verò (tanquàm ad Auguſtam Caroli *gloriam, calamiq; veſtri honorem reſervata) novos induit ſpiritus, formamq; venuſtiorem.*

Dum enim tot Reipublicæ Ornamenta, tot Eccleſiæ Luminaria, indefeſſamq; veſtram (in eruendis Patriæ Annalibus) induſtriam contemplatur, fugari demùm tenebras, excuſſam noctem, & è mortuis ſe excitatam, agnoſcit.

Et jure quidem omnia ſibi fauſta admodùm & magnifica promittat læta Mater, cùm hodiernos conſpiciat triumphos, ad Hiberniæ ſalutem ornatumq; undiquaq; conſpirantes.

En enim Sereniſſimum Principem (quem poſt tot funera & clades, ad charos Patriæ amplexus, ad lanqueſcentia ſuorum gremia, incolumem reduxerint, divinæ miracula providentiæ) eoſdem cum Hiberniâ ſuâ Spiritus haurire grata agnoſcit; Seruſq; in cœlum redeat precatur, diuq; Carolus *populo lætus interſit; piâ Angelorum cuſtodiâ, vivus muniatur: poſtq; depoſitas maturâ ſenectute veſtes, Regiam Majeſtatem gloria perennis cingat.*

Jure

Jure caput erigit Hibernia, cùm Reverendiſſimos Eccleſiæ Patres, nuperis inclareſcentes tenebris, & invigilantes undiquaq; Præſules reſpicit, qui poſt tot exactos labores, poſt tot laborantis Eccleſiæ ſuſpiria, poſt tot terræ mariſq; ſuperata diſcrimina, jam tandèm (ſtellarum inſtar) nativo ſplendent fulgore, gratoſq; emittunt pietatis influxus, quibus oves ſibi commiſſas fælicitèr recreant. Dum hos conſpicit, ſperat prorsùs Hibernia brevi ſe liberatam iri, brevi ſe captiva dejecturam vincula, & fideli ſe demùm illorum tutelæ committere, qui ad propiores Deo acceſſus, ex impuro mundi conſortio, ſeparantur; qui tàm Apoſtolicè credunt, tàmq; ſollicitè curant animarum ſalutem.

Non eſt deniq; quin triumphet Hibernia, cùm ab Eccleſiâ ad Rempublicam ad tot filios, verè nobiles, tot generoſos ſpiritus, oculos convertat; tot ſublimes animos, qui nec confuſionum mole, nec tyrannidis ſævitiâ perterriti, ſed Regum optimo (barbarè trucidato,) & expiraturæ Eccleſiæ, immoti adſtiterint; dum tot tantoſq; læta ſalutat, gratulationum vi plena Mater, intumeſcit.

Dumq; inter cætera Reipublicæ ornamenta, dignitatem veſtram (Ornatiſſime) reſpicit Hibernia, ultrà ſe expatiatur, mihiq; (imbecilli licèt Oratori, veſtri tamen Honoris obſervantiſſimo) ſtrictiùs imperat, ut inter denſos gratulantium plauſus, humilis occurram, licèt jure verear, ne plus officii ſpirem quàm ingenii.

Non laudes patitur (abſq; rubore) innatus candor, nec dignas ſatis aut meritis veſtris æquales efferre poteſt tenuioris calami elogium.

Quantâ, Dignitas veſtra, tum honorandi Parentis curâ, tùm proprio calore, (pietati & ſtudiis devoto) teneros tranſegerit annos, & quàm fælices fecerit progreſſus, hodierna teſtantur (quæ indies prodeunt) grata induſtriæ monumenta. Nil Honorem veſtrum, veneranda proſapiæ dignitas, nil amplum ſatis & Equite Aurato, & Sereniſſimo Regi à Conſiliis, dignum ſatis patrimonium, nil vos juvenilis ardor (ad ineptias nimiùm proclivis) nil aliorum illecebræ à ſobrio pietatis tramite, ab indefeſſo ſtudio avocârunt; ſed neminem ſibi ſoli natum agnoſcens, difficiliorem illam de propriis affectibus maturè incepit victoriam, nobilioreſq; illos de ſe reportavit triumphos; ſui tandem dominus, nec luxui deditus nec inertiæ, illud ſolum admiſit acumen, quod Pietatem ſapuit & Reipublicæ honorem.

Utinàm & idem ageret infællx illa quæ nunc vivit Generoſorum cohors; quorum plurimi (tanquam Ignes erratici) non niſi in malum ſpirant; & vix nati, evaneſcunt, nullumq; poſt ſe vitæ indicium, præter ineptias relinquunt. Vix hominem, nedùm nobilem, nedùm Generoſi titulo undiquàq; plenum, ignavus decet torpor, & ſibi & Patriæ inutilis. Languent per inertiam ſaginati,

ſuoq;

ſuoque ipſorum pondere deficiunt; vix fuerit ille aliorum dominus qui luxuriâ mancipatur, nec impunè evaſerit, qui vitia infæliciùs devorat, nec facilè emerſerit flagitiis irretitus, qui dulce enim blandiendo malum nutrivit, ſerò recuſat ferre quod ſubit jugum.

Abſit tamen ut veneno infecta in totum degeneret Nobilium cohors, non deſunt (nec in æternum deſint) nobiliores animi, qui omnia poſſunt, præter inhoneſta, qui viliores deſpiciunt (ne tenaciùs ſubjugent) corporis voluptates, qui placidè mori audent, ne pietatem lædant. Utque vivere inceperit Epaminondas, qui à ſalvo clipeo expirabat, ſic ubique viget numeroſa proles quæ Religionis causâ hilaris vel expirare poſſit, ſalvâ illâ quâ læta vixit innocentiâ, En quot nupèr triumphantes animæ, excuſsâ corporis ruinâ laceratas membrorum exuvias terræ gremio alacritèr repoſuerint, deſpectiſque carnificum injuriis, gloriam anhelantes, ſublimiori expatiantur cælitùs victoriâ.

Sed ignoſcat Honor, incaleſcentis calami digreſſum, ad vos redit Oratio, qui fæliciter peractâ Inventute, ad Regia evocaris Conſilia ubi dum inter longum Senatorum ordinem fidelia præſtes officia, gravis ubique oritur tempeſtas; & Horrida illa, quæ Sereniſſimam Majeſtatem, Florentiſſimas Apoſtolicæ Religionis Eccleſias, bonoſque omnes penè obruit, in Honorem veſtrum, totos effudit impetus. Quàm miſera ubique jam cœli facies, quantiſque vallata eſt anguſtiis vera Religio, quantoque circumſepta tumultu, nuſquam tuta fides, nuſquam tranquilla ſecuritas. Languent infatuatæ Gentes, ſed in ipſo morbo ſuperbiunt, cumque maxima morbi pars ſit, non velle ſanari, de remedio ipſo quo ſanari poterant, petulantiùs erubeſcunt, Medicoſque (qui ſoli opitulari poterint) ferociùs proſequuntur.

Novcrant inimici vix tutam ſibi fore veſtri quietem, ideoque dilectâ conjuge, charâ liberorum coronâ, amicis, rebus omnibus uſque vel ad libros (ingenuâ ſelectos curâ) privatus, (quibus etſi vix intellexerant, uti tamèn ſtatuebant) in Galliam ex improviſo, ſolus exularis.

Sed depreſſa reſurgit virtus, & defæcatius aurum illatâ probatur flammâ, ſupra nives & fulmina (Aquilæ inſtar) nobilior aſcendit animus, & parem, cum Carolo, cum Eccleſiâ, cum bonis omnibus, ſortem ſubire, non modò non recuſat, ſed laborante Patriâ & expiraturâ Eccleſiâ, dedignatur quietem.

Sed tandèm, ad ſtuporem orbis, evaneſcunt tyrannidum minæ, horridiorque tempeſtas; reſtituto Cæſare reviviſcit Imperii decus, reductiſque Regni fidelibus, ſuam quæque gloriam ſphæra recuperat.

Sic inter cætera Patriæ ornamenta, Dignitas veſtra, ad avidos amicorum & Reipublicæ amplexus, ad hodiernos reſervata triumphos, ſedem meritis debitam recapeſcit, animumque veſtrum in miſeriis non otioſum eſſe potuiſſe, abunde teſtantur, magna & deſiderata illa, quæ in publicum proſtnunt incorruptæ induſtriæ monumenta.

Sicque jam tandem (diù nimis infælix) Hibernia, remotis fabulis, abactiſque procul commentis, ad vivum, ſe peritiori manu veſtrâ impreſſam agnoſcit; dumque labores veſtros in eruendis rerum ſuarum Annalibus, gratè inceptos fælicitêrque peractos intueatur, ſe diù nimis obſcuro ſepultam tumulo, novoſque è calamo veſtro ſpiritus indies haurire novamque induiſſe lucem fatetur.

Dumq; venerandos Eccleſiæ ſuæ Præſules *(ab ignotis excitatos ſepulchris) dum longam* Epiſcoporum Seriem *(hactenùs abſconditam) dum antiquam Chriſtianæ Religionis puritatem, (quæ ſemèl floruit) dumq; indefeſſam Honoris veſtri peritiam, ſublimioremq; indolem læta meditatur; dum quanta egeris, quanta poteris & quanta libentèr velis, exultans perpendit, fugari demùm inſcitias, reſtitui degeneres incolarum mores, redivivam (quæ penè periit ab infælici Inſulâ) fidelitatem, gratulabunda agnoſcit.*

Sic excuſſâ nube, timidus ſeſe vapor abſcondit; ſic catenis diù nimis gravatus, ſuam ſibi libertatem captivus, avidè gratulatur. Sic terræ gremio incluſus aer, exitum ſibi ad cœlum, ambitioſus quærit, & materna per-rumpens latera, viam ſibi, aut invenit aut facit. Sic indagaci Nobilis Waræi *genio, excuſſâ barbarie, novos ſe induituram vultus, nobilioreſq; geſturam animos Hibernia pollicetur.*

Macte itáq; generoſior indoles, inceptoſq; perfice triumphos, ſic illam, quam è frigidiori marmore fruſtrà quis expectet, dabit vobis induſtria veſtra æternitatem. Sileat ſua Memphis (quæ jam pridèm evanuerunt) miracula: Devoravit penitùs Mauſolea (pendant licèt in aere) temporis injuria. Supra invidiam ſuperbit proprii faber Epitaphii: Solus in æternos exurgit trophæos, peremior cumulus virtutum: Cœlumque illud, quod non poterant Gigantes, ſublimiori ingenio ſuperatur.

Ut ergò fauſta hæc omnia, & magnifica ſatis Reipublicæ, & Eccleſiæ adveniant; ſileat jam tandem armorum ſtrepitus & ad mitiorem Euangelii vocem, obmuteſcant tumultus. Subſidant moleſtæ ſchiſmatum turbæ, veruſq; amor ille, qui ſemper ardet, Eccleſiam accendat, uniatque anguſtos orbis Chriſtiani limites in immenſum extendat divina Providentia; barbara Gentium ſuperſtitio, & occæcata Judeorum pertinacia, ad veriorem Chriſti cultum convertantur; floreant in æternum in hiſce Inſulis è tenebris

nebris clariores ſacræ Epiſcopatus Cathedræ, in ultimos terræ fines, & in indomitas hominum mentes triumphet Euangelium, eoque tandem Dignitatem veſtram cæteroſque ſuos Deus perducat, ubi ſine nubilis ſerenitas, ſine ſole perpetuum jubar, vita ſine labore, abſque langueſcentis animi dolore, æterna ſalus. Hæc. humilimè precatur.

Honori veſtro devotiſſimus,

JO. PARRY.

DE ARCHIEPISCOPIS Armachanis.

S. Patricius.

Sanctus *Patricius*, Britannus, in baptismo *Succath* i. *Fortis bello*, dictus est. *Patricii* verò nomen, diù posteà à Celestino Pontifice, (qui eum in Hiberniam misit anno Christi 432, ad prædicandum ibi Euangelium) honoris causâ, accepit. De *Patriciorum* dignitate & privilegiis, apud veteres Romanos, vid. Dionys. Halicarnas. Antiquit. Roman. lib. 2. c. 2. Unde & posteà ipsi Galliæ Reges Romanorum dicti sunt *Patricii*, Stephani Papæ decreto, sub Pipino Rege. Natus est *Patricius* in Tabernia, quæ regiuncula est Britannica, nunc pars Scotiæ, prope castrum Dunbrittannicum, patre Calpornio diacono, avo Potito presbytero, ut ipse de genere suo loquitur, in *Confessione* sua. Ætatis anno 16, (hoc est, anno Dom. 388) à pyratis in *Hiberniam* captivus ductus est, ubi pecora pascens, juxta montem *Mis*, in ea parte Ultoniæ quæ hodiè ager Antrimensis vocatur, sex annos transegit. Inde verò liberatus in patriam rediit. Hîc tamen ærumnarum ejus non erat finis, nam post biennium, vel circiter, secundam pertulit captivitatem in Hibernia, licèt non diuturna fuerit, nam 60 tantùm diebus duravit. In patriam denuò reversus, peregrinationem Romam usque suscepit, sed in itinere aliquandiù apud S. Germanum, deinde apud S. Martinum episcopum Turonensem auunculum ejus commoratus est, à quo in sacris Scripturis institutus, Presbyter ordinatus. Inde Romam profectus, ibi in sacrarum scripturarum lectione, & in devotæ vitæ exercitiis & studiis assiduus, in Ecclesia Lateranensi, Canonicus regularis vixit. Quemadmodùm in Officio Canonicorum regularium à Pio V. approbato legimus. Partim Romæ, partim in Insulis maris Mediterranei, & partim apud SS. Germanum & Martinum 30 annos transegit; tunc verò mortuo Palladio, quem paulò antè

Cœlestinus Pontifex licèt irrito fermè successu, in Hiberniam miserat, ad fidem Christianam ibi propagandam, Episcopus consecratus, in hoc tanto negotio, de conversione Hiberniæ, ad veritatem Euangelicam, delignatus est successor, anno Christi CCCCXXXII, ubi propter labores in fide Christiana stabilienda, exantlatos, de Ecclesia Hibernica optimè meritus, Hibernorum Apostolus vulgò dictus est. Sedem fixit Armachæ anno 455, prope *Calin* flu. Locum (à salicibus quibus consitus fuit, *Druim-sailech*, aliquandò dictum) concedente Dairo quodam, viro divite. Ab editiore verò situ, posteà factum est nomen Armacha, id est, *Editus Campus*. De sede à S. *Patricio* ibi collocata, ita Jocelinus Monachus Furnessensis, in vita ejusdem S. *Patricii*, cap. 165. *Cathedram Archiepiscopalem in eadem urbe collocavit, & ut sedes illa totius Hiberniæ esset primaria, Metropolis, & magistra, animo statuit*: & cap. 166, *Armachiæ Metropolitanam Ecclesiam, ad animarum salutem, & urbis patriæq; salutem munivit.* Decennio verò posteà, sedis illius curam Benigno discipulo ejus commisit, illique cedenti anno 465, Iarlatho. Mortuo deinde Iarlatho an. 482, successit S. *Patricii* operâ, Cormacus. Ita ut ipse *Patricius* in sede sua Armachana, tres viderit successores. Muneris tamen sui non immemor, ætatis reliquum, partim privatis contemplationibus & studiis, partim prædicationi & publicis Ecclesiæ negotiis impendit. De cæteris ejus Actis, quid potissimùm perscribam, planè nescio, adeò

——Inopem me copia fecit.

Consulendi sunt Scriptores, qui singularibus libris, vitam ejus descripserunt. Interim satis erit hîc adjicere eum juxta receptam opinionem, in cœnobio Saballino (quod ipse construxerat) 17 die Martii anno Dom. 492, placidè ad Deum migrâsse, & Duni, ad secundum à cœnobio lapidem, fuisse sepultum.

S. BENIGNUS.

DE proximis S. *Patricii* successoribus, variæ sunt opiniones. Sunt qui Senanum aliquandò militem successorem statuant, & in ejus vita metricè descripta, S. *Patricius* de eo prophetico spiritu ita prædicens introducitur:

Nascetur vobis parvulus,
Futurus Dei famulus,
Qui & Senanus nomine,
In meo stabit ordine,
Mihi Deo propitio,
Succedens Episcopio.

Et

Et in eadem vita, *Senanus Archipontifex* posteà appellatur. Atqui is procul dubiò Præsul fuit Inisscattiensis, non Armachanus. Alii porrò aliam contexunt seriem. In Psalterio Cassiliensi, Secundinus (aliis Sechnallus) S. *Patricii* ex sorore nepos, proximus ejus successor nominatur, & Secundino successisse perhibetur *Patricius* senior, aliis *Sæn-Patricius*, sive senex *Patricius*, *Patricii* nostri domesticus, cæterùm Secundinus ille Episcopus fuit Dunshaglinensis in Media, ubi & mortem obiit Novembris 27, anno Dom. 448. ætatis suæ 75. & *Sæn-Patricius* confusus cum magno nostro *Patricio* decennio posteà. Ab aliis quibus potior (opinor) habenda est fides, *Benignus* Hibernis nostris *Benin* dictus, S. *Patricii* discipulus, de quo suprà diximus, successor statuitur, ut è Probo & Tirechano liquet. Qua de re, vid. etiam Jocelinus, cap. 39. Præsulatu is se abdicavit anno 465, & triennio pòst è vita migravit, 9 Novembris, Armachæ, vel ut alii tradunt, Ferlingmeræ in Anglia, unde posteà ossa ejus Glastoniam translata dicuntur anno 1091. Annales verò Inisfallenses Romæ eum mortuum fuisse notant.

IARLATHUS.

Benigno successit, ei amicissimus, S. *Patricii* designatione, *Iärlathus* Trenæ vel Trieni filius, patriâ Ultonienſis, à S. *Patricio* educatus, qui decessit Anno 482, 11 Februarii. In Annalibus Ultonienſibus ejus obitus ita ad annum refertur 481, *Quies Iarlati filii Trenæ Episcopi Ardmachani*, vel ut in alio exemplari habetur, *Quies Iärlathi filii Trenæ tertii Episcopi Ardmachani.*

CORMACUS.

Iarlatho mortuo successor à S. *Patricio* tunc admodùm sene & cœlestium contemplationi vacante, designatus est *Cormacus*, Episcopus Trimmensis, Regis Leogarii ex Endeo fratre nepos, in Annalibus Ultonienſibus *Hæres* S. *Patricii* appellatus, quòd ei supervixerit. Obiit Anno 497, 17 Februarii, Trimmæ sepultus.

DUBTACHUS.

Dvbtachus aliis Duachus successit & præfuit annos 16. Obiit anno 513, in vita S. Tigernaci appellatus *Venerabilis Duachus, egregius Patriciana sedis Archiepiscopus.*

AILILDUS. I.

Ailildus, ſive *Ailil*, aliis Helias, Trichenii orientalis Ultoniæ Dynaſtæ filius, regio ſanguine natus, ſedit annos 13. Obiit 13 Januarii anno 526.

AILILDUS II.

Ailildus ejus nominis ſecundus ſucceſſit, ex eadem ortus familia, & cùm ſediſſet annos 10, Julii 1. deceſſit anno 536.

DUBTACHUS. II.

Vbtachus, aliis *Duachus*, ex ſtirpe *Collæ Huais* ortus, præfuit annos 12. Obiit anno 548. De quo prætereà nihil reperi memoratum.

DAVID.

Duacho Annales quidam Ultonienſes ſubjiciunt *Davidem* filium *Guairii*, quem *Legatum* appellant *totius Hiberniæ*, & obiiſſe notant anno 550, qui nobis eſt 551. Hunc eundem putat Coganus cum eo qui in Pſalterio Caſſellienſi vocatur Fiachrius, al. O-Fiachra.

FEIDLIMIDUS.

Feidlimidus *Fin*, id eſt, Albus, de *Hi-Nellan* oriundus, ſucceſſit, & deceſſit anno 578. Eum Annales Ultonienſes priſco more, Abbatem vocant Armachanum, qui in Pſalterio Caſſelienſi & Martyrologiis inter Primates numeratur.

CAIRLANUS.

Cairlanus al. *Cairlænus* de *Hy-Niellan* oriundus cœnobii neſcio cujus Abbas in diœceſi Armachana *Feidlimido* ſucceſſit anno 578, & diem clauſit extremum 24 Martii anno 588.

EOCHAIDUS.

Eochaidus filius *Dermitii* dictus etiam Abbas Armachanus deceſſit menſe Januario 598.

SENACHUS.

SENACHUS.

Senachus, qui ſicut prædeceſſor dictus eſt etiam Abbas Armachanus, obiit anno 610.

MAC-LAISRIUS.

Senacho ſucceſſit *Mac-Laiſrius*, ſive filius *Laiſrii*, cujus nomen proprium non proditur. Fortè idem cum eo quem *Johannes Tinmuthenſis* in vita S. *Laurentii* Archiepiſcopi Cantuarienſis (& ex eo Capgravius) S. *Terenanum* vocat *Hiberniæ Archiepiſcopum, qui audiens* (inquit) *B. Laurentium de Paſchæ obſervatione, aliiſq; Apoſtolicis inſtitutionibus diſputantem, dedit manus veritati, & ſuam gentem in poſterum corrigere ſatagebat.* Tempora ſatis conveniunt: Nam ut *Mac-Laiſrius* ſedere cœpit anno 610, & obiit 623. 2 Septembris, ſic *Laurentius* deſignatus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis anno 611, & deceſsit anno 619. Febr. 3.

THOMIANUS.

Thomianus vel *Tomianus* Ronani filius, genere ortus præno-bili, propter doctrinam cæteráſque virtutes, demortuo *Mac-Laiſrio* ſubſtitutus eſt. Ad eum & alios Hiberniæ Epiſcopos, Presbyteros & Abbates, ſcripta eſt Epiſtola Romani Cleri, ſede Romanâ vacante, anno 639, de legitimo obſervandi Paſchatis tempore, cujus partem exhibet. *Ven. Beda*, lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 19. Obiit 10 Januarii anno 661.

SEGENIUS.

Segenius præfuit annos 27, obiit 24 Maii, anno Dom. 688. Eo ſedente, Armacha bis incendio deformata eſt, annis nimirum 670, & 687.

FLANUS-FEBLA.

Flanus cognominatus *Febla* filius Scanlani ſedit etiam annos 27. Deceſſit Aprilis 24. 715. Sub eo Synodus celebrata eſt anno 695.

SUIBNEUS.

Suibneus filius *Cronnmaili* ſucceſſit, & obiit menſe Junio 730.

CONGUSA.

CONGUSA sive *Conguſius*, è *Kinel-Anmire* oriundus, obiit anno 750, cùm ſediſſet annos 20. Scripſit is (ut Colganus habet) *carmen quoddam quo adhortatus eſt Aidum* (ſive Edanum) *Allanium Hiberniæ regem, (cujus ipſe eſſet Confeſſarius) ad ulciſcendum crimen ſacrilegii, quo Aidus Ronius Rex Ultoniæ invaſit & expilavit quaſdam diœceſis Ardmachanæ eccleſias.*

CELE-PETRUS.

CONGUSÆ ſucceſſit *Cele-Petrus*, ex *Hi-breſſail* oriundus, dictus *Comorbanus* ſive ſucceſſor S. *Patricii*, qui obiit anno 758.

FERDACHRIUS.

CELE-PETRUM ſequutus eſt *Ferdachrius* filius *Suibnei*, nepos Ronani, qui cùm ſediſſet annos circiter 10, è vita migravit menſe Maio 768. Hunc Annales Ultonienſes Abbatem appellant Armachanum, ſed in Pſalterio Caſſelienſi, veriùs inter Archiepiſcopos Armachanos numeratur. Notandum hîc nomen Abbatis & nomen Archiepiſcopi in dictis Annalibus ſæpè confundi.

FOENDELACHUS.

POſt *Ferdachrii* mortem, ſucceſſiſſe perhibetur *Foendelachus* quidam, filius *Moenachi* & ſediſſe annos 3. Inter quem & *Dubdalethium*, de iſto munere magna erat contentio. *Foendelachus* hic obiiſſe dicitur anno 794. unde vel depoſitum fuiſſe vel reſignâſſe colligo.

DUBDALETHIUS.

DUbdalethius (filius *Sinachi*) præfuit (ſecundùm Pſalterium Caſſelienſe) annos 15. Obiit anno 793.

AFFIATUS.

IN Annalibus Ultonienſibus ad an. 793. qui nobis eſt 794, *Affiatus* Epiſcopus Armachanus & Aireſachus (ſive Arectacus) Abbas Armachanus unâ eademq; nocte obiiſſe dicuntur. Contrà autem in Pſalterio Caſſelienſi, *Affiato* penitus omiſſo, Arectacus ſucceſſor in ſede Armachana nominatur, & præfuiſſe dicitur an. 1.

CUDINISCUS.

CUDINISCUS.

CUdiniſcus filius *Conaſuichi* in Pſalterio Caſſelienſi ſucceſſor nominatur, & præfuiſſe dicitur annos 4. Sed in Annalibus Ultonienſibus, obitus ejus ad annum refertur 790, vel 791, & Abbas Armachanus appellatur, quo nomine tamen intelligi debet Epiſcopus ſive Primas.

CONMACHUS.

C*Onmachus* filius *Dubdalethi* morte repentinâ obiit anno 807.

TORBACHUS.

T*Orbachus* filius *Gormani* dictus etiam *Scriba*, *Lector & Abbas Armachanus* obiit 16 Julii anno 808, cùm unicum duntaxat annum præfuiſſet. *Scribæ* apud Judæos, Lectores erant & Doctores ſive Interpretes Legis. Munus hoc Græcis etiam innotuit. Ad veteres Hibernorum *Scribas* quod attinet, ſunt qui per eos intelligant Scriptores: Sed quære, annon potius ſignificent Theologiæ Lectores.

NUADUS.

N*Uadus Segenii* filius, Abbas cœnobii juxta lacum quendam Breſniæ, *Loch-uamha* dictum, ad Archipræſulatum Armachanum evectus *Torbacho* proximè ſucceſſit. Anno 816 in Conatiam profectus eſt, ubi abuſus nonnullos Eccleſiarum reformâſſe fertur. Obiit 19 Februarii 812. vel 811, ad quem annum ita Annales Ultonienſes, *Nuada Loc-huama Epiſcopus, Anachoreta & Abbas Ardmachæ dormivit.*

MAC-LOINGLE.

M*Ac-Loingle* aliis *Maclongſeus* ſucceſſiſſe dicitur & præfuiſſe annos 13. At de tempore, quam diù ſederit, falſo. Nam ſucceſſor ejus *Artrigius* præfuit anno 822.

ARTRIGIUS.

A*Rtrigius* (al. *Artrius* filius *Cornelii*) uti diximus huic ſedi præfuit anno 822 eodemque anno, Momoniam totam peragrando viſitavit. Tum *Lex Patricii per Fethlimium filium Crimthani* (Momoniæ Regem) *& per Artrigium Epiſcopum Armachanum*

chanum, per Momoniam propagata est. Sic Annales Ultonienses. Sunt qui per Legem Patricii, Regulam ejus Monasticam intelligant, alii, qui Jurisdictionem Metropoliticam in Provinciis subjectis. Anno deinde 824 Conatiam visitavit. Obiit anno 833. Sed quando consecratus fuerit, nondum comperi. Tempora habuit propter Danica bella valdè turbulenta. Armacham à Danis & Norwegis occupatam per spatium unius mensis anno 830, produnt Annales Hibernici.

EUGENIUS.

EVgenius aliàs *Eoganus*, dictus etiam Abbas Armachanus, obiit anno 834.

FARANANUS.

SUccessit *Farananus*, sede suâ expulsus à Turgesio Norwego, *unà cum omnibus religiosis & studiosis* loci. Inter hunc & *Diermitium O-Tigernach* magna erat contentio, de jure Archiepiscopatus, utróque pro Archiepiscopo se gerente. Anno verò 848, *Farananus* Pontificatu se abdicavit, & è vivis excessit 852 eodem nempe anno quo successor ejus *Diermitius*.

DIERMITIUS.

FJuranti *Faranano* successit *Diermitius O-Tigernach*, qui mortem obiit anno 852, in Annalibus Ultonienfibus dictus *sapientissimus omnium Doctorum Europæ*. Paulò ante obitum ejus, Armacha ipso Paschatis die, à Danis ethnicis denuò devastata est, unde ille ægritudine & mœrore (ut putatur) contabescens, anno nondum circumacto, extinctus est.

FACTNA.

POst *Diermitium* antedictum, *Factna* huic ecclesiæ præfuit annos 22. Obiit pridie Nonas Octobris 874, dictus *Episcopus, hæres Patricii, & caput religionis totius Hiberniæ*. Illo sedente, Amlafus Norwegus, anno 869, Armacham diripuit & incendit, ac mille homines ibidem interfecit.

AINMIRIUS.

SEdis regimen suscepit *Ainmirius* anno 874, quod tenuit 9 duntaxat menses, morte sublatus anno 875.

CATASACHUS.

CATASACHUS.

Catasachus filius *Rabartai*, dictus *Princeps Armachanus*, *in pace quievit* anno 883, aliis 779. Per *Principem* intelligo hîc Episcopum. Sic in vetusto codice Canonum titulorum 66, in Bibliotheca Cottoniana: *Synodus Hibern. ait. Testamentum Episcopi sive Principis est decem scripuli sacerdoti danti sibi sacrificium, sagum pauperi, viaticum cibi viduæ, commune vestimentum ministro.* Et *hæc tamen firmentur à clericis.*]

MÆLCOBUS.

Catasachum sequutus est, secundùm Psalterium Casseliense, *Mælcobus* sive *Mælcoba* (filius *Crumvaili.*) Atqui in Annalibus Ultoniensibus præponitur *Ainmirio*, qui ejus cessione, locum obtinuisse dicitur. Obiit senio confectus, anno 885. Hunc, unà cum Mochta Lectore Armachano, captum fuisse à Danis, anno 878, vel 779, produnt Annales Ultonienses.

MELBRIGIDUS.

Melbrigidus, sive *Brigidianus* filius *Tornani*, al. *Dornani*, ex regia Hibernorum prosapia oriundus, Abbas cœnobii Derensis, atque inde ad Archiepiscopatum Armachanum promotus, obiit 22 Februarii 927. Ab aliis annus obitus ejus ad annum refertur 926, ad quem annum, ita Annales Ultonienses, *Maolbride mac Dornain Comorbanus* (sive successor) *Patricii & Columbcille felici senectute quievit.* Vir fuit eruditione & aliis virtutibus clarus, unde & dictus *Europæ Decus.* Eo sedente, Armacha, à Danis ter occupata fuit & spoliata, annis nempe 890, 893 & 919, & semel incendio deformata, anno nimirùm 914. Non abs re fuerit hic commemorare Annalium Hibernicorum Scriptores aliam Præsulum Armachanorum seriem, post *Mælcobum* contexere, nimirum hanc.

Mocta seu Mocteus obiit 889.

Mælathgenius obiit 890.

Kellachus filius Saorgusæ obiit 898, aliis, 903.

Mæl-Ciaranus filius Eogaini obiit 914 vel 915, ætatis suæ 70.

Sed hi ab aliis non numerantur inter Archiepiscopos Armachanos, utpote suffraganei tantùm *Melbrigidi.*

JOSEPHUS.

Josephus, vir doctus, consecratus 927, decessit anno 936, vel 935, ad quem annum ita Annales Ultonienses, *Josephus*

Princeps Armachanus, Episcopus, Sapiens & Anachoreta in senectute bona quievit.

MÆL-PATRICIUS.

QUi successit *Mæl-Patricius* filius *Maoltulei*, dictus etiam in iisdem Annalibus *Princeps Armachanus, in senectute quievit*, ante finem ejusdem anni, cùm sedisset menses duntaxat 5.

CATASACHUS II.

Catasachus filius *Dulgeni de Drumtorraig*, in Annalibus Ultonienſibus dictus *Comorbanus Patricii* obiit anno 957, cùm sedisset annos 20.

MUREDACHUS.

Muredachus filius *Fergusii*, dictus itidem *Comorbanus S. Patricii* præfuit annos [illegible] depositus anno 966.

DUBDALETHIUS II.

Dubdalethius 2 dictus *Comorbanus SS. Patricii & Columbæ ætatis suæ* 83, anno Dom. 998, Junii 2, decessit, consecrationis anno 33.

MURECHANUS.

Defuncto *Dubdalethio* successit *Murechanus* anno 998, & anno deinceps 3 resignavit. Illi successisse perhibetur à nonnullis *Melmurius* filius *Scanlani*, sed is in Psalterio Cassiensi, inter Archiepiscopos non numeratur.

MÆLMURIUS al. MARIANUS.

Mælmurius al. *Marianus* filius *Eochæ* designatus anno 1001, sedit annos 19, vir magni suo tempore nominis. Obiit 3 Nonas Junii 1021, ex mœrore (ut putatur) ob Armacham universam combustam, mense præcedente. Hoc sedente Præsule, *Brienus Borbuc al. Borumæ* inclytus ille rex Hiberniæ in prælio ad *Clantarf* occisus est. Corpus ejus & *Murchardi* filii *Swordam*, (villa est ad sextum à Dublinio lapidem) delata, inde à *Mælmurio*, clero comitante, Armacham deportata fuisse ferunt, & in ecclesia Cathedrali ibidem, cui Benefactor fuerat *Brienus*, magnâ solemnitate condita.

AMALGAIDUS.

EOdem ipso anno quo *Mælmurius* defunctus est, successit *Amalgaidus*. Sedit annos 29, & ab hac luce migravit; anno Dom. 1050, aliis 1049. Ad quem an. ita Annales Prioratus Insulæ omnium Sanctorum. *Amalgaidus Comorba Patricii 29 annis in Principatu transactis, pœnitens in Christo quievit.* In Annalibus Ultonienſibus *Maoltulius* quidam *Episcopus Armachanus in Christo quievisse* dicitur anno 1032. Sed hic inter Primates, non numeratur, & (uti videtur) fuit tantùm *Amalgaidi* suffraganeus Episcopus.

DUBDALETHIUS III.

Dubdalethius filius *Mælmurrii*, S. Theologiæ Prælector Armachanus, defuncto *Amalgaido* mox successor designatus est, relicto Prælectoris munere, *Aido* sive *Hugoni O-Forrey*. Mortem obiit *Dubdalethius* 1 Septembris anno 1065. Scripsit is Rerum Hibernicarum Annales quos citatos comperi in Annalibus Ultonienſibus, ad annum 962 & 1021. Dicitur etiam scripsisse (uti habet *Colganus*) de Archiepiscopis Armachanis, usq; ad sua tempora.

CUMASCACIUS.

POst *Dubdalethium*, in Psalterio Cassellensi, *Cumascacius* præfuisse dicitur annos 3. Contrà autem in Annalibus Ultonienſibus, *Cumascacio* prorsùs omisso, *Dubdalethio* proximus nominatur successor *Melisa* filius *Amalgaidi*. Siquidem ad annum 1064, (qui nobis est annus 1065) ita ibi annotatum reperi: *Dubdalethe Comorbanus Patricii Kalendis Septembris in bona pœnitentia mortuus est, & Melisa filius Amalgadæ locum ejus occupavit. Cumascacius* hic idem videtur cum *Cumascacio O-Diermadan* quem alii Abbatem vocant *Armachanum*.

MELISA.

MÆlisa filius *Amalgaidi* præfuisse dicitur annos 27, & Armachæ obiisse 9 Kalend. Januarii 1092. Monomam is vastavit anno 1068. vel 1069. Eo sedente, *Armacha incendio vastata est, die Martis post primum Maii, una cum omnibus ecclesiis, campanis & supellectile*, anno 1074, vel 1075, ut ex Annalibus Ultonienſibus intelligimus.

DONALDUS.

Donaldus filius *Amulgaidi*, frater (ut videtur) jam dicti *Maliſæ*, paucis poſt prædeceſſoris obitum diebus, Archiepiſcopus deſignatus eſt. Is Dublinium profectus anno 1106, ut pacem inter *Moriertachum O-Brien* regem Hiberniæ & *Donaldum O-Loghlin* procuraret, in ægritudinem incidit, quâ *Damliagæ*, ſive *Dulekæ*, in reditu Armacham verſus, Auguſti 12, ætatis ſuæ 68, ſublatus eſt. Corpus Armacham deportatum, ibi honorificè ſepulturæ traditum eſt. In Annalibus Ultonienſibus, ad an. 1099, *Caencomrachus O-Boil in feſto Pentecoſtes ordinatus* dicitur *Epiſcopus Armachanus*. Atqui is fuit tantùm *Donaldi* ſuffraganeus Epiſcopus. Extat ad *Donaldum* Epiſtola Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis, ſicut & alia Anſelmi, Lanfranci ſucceſſoris, ad eum & alios.

CELSUS.

CElſus, aliter dictus Celeſtinus, & Hibernicè *Cellach*, filius *Aidi*, filii *Maliſæ*, communibus cleri & populi ſuffragiis, Archiepiſcopus deſignatus conſecrationem obtinuit 23 Septembris 1106. vir literis egregiè excultus. Hunc Brianus Twinus (Antiquit. Oxon. Academ. Apolog. lib. 2. ſect. 280.) *virum undiquáque doctiſſimum* appellat, &, ex Balæo, *Oxoniæ* ad tempus *floruiſſe* aſſerit. Anno 1112, vel (ſecundùm Annales Ultonienſes) 1101, *Synodus habita eſt in loco dicto Fiad-mac-Ængusa* (aliis *Usnach*) *cui interfuerunt Cellachus Comorbanus Patricii & Malmurrius O-Dunan Archiepiſcopus Hiberniæ* (fortè idem qui in Annalibus Conatienſibus dictus eſt Milerus O-Dunan Archiepiſcopus Caſſelienſis) *una cum* 50 *Epiſcopis*, 300 *Presbyteris & 3000 ordinis Eccleſiaſtici, ad regulas vitæ & morum clero & populo præſcribendas*. Eidem porrò Synodo interfuiſſe dicitur *Moriertachus O-Brien* rex Hiberniæ, cum proceribus *Legh-næ*, ſive partis auſtralis Hiberniæ. Meminit ad eundem annum, *Concilii magni Epiſcoporum & omnium magnatum Hiberniæ*, Henricus Marleburgenſis, vicarius *de Balliſcadan* in diœceſi Dublinienſi, ſed perperàm à *Mauritio Mac-Loghlin rege Hiberniæ* convocatum aſſerit. Siquidem Mauritius ille regnum non iniit, ante annum 1157. Ad *Celſum* redeo, qui anno 1121, *communi conſenſu Hibernarum & Norwagarum deſignatus etiam* dicitur *Epiſcopus Dublinienſis*. Quæ de re vid. Joh. Colgan. Triad. Thaumaturg. pag. 300. Vacavit quidem ſedes Dublinienſis eo tempore, per obitum *Samuelis O-Haingly*, qui è vitâ migravit 4 Non. Julii 1121, ſed 2 inſequentis Octobris, Lamethæ, à Rodulpho Archiepiſcopo Cantuarienſi, Gregorius quidam conſecratus eſt Epiſcopus Dublinienſis.

Eodem

Eodem anno, *duæ plateæ* (inquit idem Colganus) *in Trian massain, à porta Rathensi, seu Arcis, usque ad crucem S. Brigidæ, Ardmachæ, igne consumptæ sunt.* Notat Colganus, paulò suprà, *civitatem Armachanam in 4 olim partes fuisse divisam. Prima, Rath-Ardmach, i. Arx Armachana dicebatur: Secunda, Trian mor, i. tertia portio major: Tertia, Trian-Massain, i. Tertia portio Massain: Quarta, Trian-Saxon, i. Tertia portio Saxonum apellata, quod nomen videtur adepta, ex eo quod mercatores, vel (quod verosimilius est) studiosi Anglo-saxones ibi inhabitaverint*, &c. Mortem obiit *Celsus* 6, vel, ut alii habent, primo die Aprilis 1129, vix annum ætatis quinquagesimum egressus, apud Ardpatric, (villa est in agro Limericensi) unde corpus Lismoram delatum, sicut in testamento suo mandaverat, ibidem honorificè sepultum est. *Celsum* morti vicinum *curâsse omnimodo habere sibi successorem Malachiam* Morgairum, tunc Episcopum Connerensem, *eique baculum suum, tanquàm sibi successuro misisse* asserit in vita S. Malachiæ, S. Bernardus. Nec operam penitùs lusit. Nam successit ei Malachias, quamvis non immediatè. Nam Mauritius quidam *Donaldi* filius vir genere nobilis, *per quinquennium* (inquit idem Bernardus) *fretus potentiâ seculari, incubavit ecclesiæ, non Episcopus, sed tyrannus. Nam mos pessimus inoleverat, quorundam diabolicâ ambitione potentum, sedem sanctam obtentum iri hæreditariâ successione. Nec enim patiebantur Episcopari, nisi qui essent de tribu & familia sua. Nec parùm processerat execranda successio, decursis jam in hac malitia quasi generationibus* (vel successionibus Episcoporum, ut exponit Colganus) *quindecim. Et eo usque firmaverat sibi jus pravum, imò omni morte puniendam injuriam, generatio mala & adultera, ut etsi interdùm defecissent Clerici de sanguine illo, sed Episcopi nunquam. Denique octo extiterant ante Celsum viri uxorati, & absq; ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per universam Hiberniam, (de qua multa superiùs diximus) dissolutio disciplinæ ecclesiasticæ, censuræ enervatio, religionis evacuatio.* Ita Bernardus. Nomina illorum octo virorum uxoratorum & non ordinatorum ascribit Colganus, loco suprà citato. Defuncto *Mauritio* filio *Donaldi*, *Nigellus* filius *Aidi*, ejus cognatus sedem arripuit, sed mox ejectus *tulit secum* (sic idem Bernardus) *insignia quædam ædis illius, Textum sc. Euangeliorum, qui fuit B. Patricii, baculúmque auro tectum gemmis pretiosissimis adornatum, quem nonnulli Baculum Jesu vocant.* &c. Obiit *Nigellus* an. 1139. Nec desunt qui eum inter Archiepiscopos numerent.

D MAURITIUS.

MAURITIUS.

Mauritius, ille, de quo suprà diximus, nobili eâ familia ortus, quæ jam annos 208, quasi hæreditario jure Archiepiscopatum obtinuerat, *Celso* defuncto, sedem Armachanam adiit, quam triennio quidem solus, biennio verò in schismate, contra Malachiam tenuit. Obiit anno 1134.

MALACHIAS O-MORGAIR.

Malachias, Hibernis *Mælmedoic O-Morgair*, educatus est Armachæ primùm, ab Imaro Abbate, magnæ austeritatis viro, deinde Lismoræ, sub Malcho Lismorensi Episcopo. In Ultoniam reversus, cœnobium Bangorense restauravit, cui ipse ad tempus præfuit Abbas. Factus paulò pòst Episcopus Connerensis, à *Celso* Archiepiscopo Armachano moribundo successor (uti diximus) designatus est. Eiq; quinquennio exacto successit. Sed cùm circiter triennium in Archiepiscopatu expleviſſet, sponte abdicavit, anno 1137, vel 1136, sedemque Gelasio relinquens Dunum se contulit, ubi cœnobium Canonicorum regularium instituit. Biennio pòst, Romam profectus est, duo Pallia ab Innocentio 2 impetraturus, alterum sedi Armachanæ *cui defuerat* (inquit S. Bernardus) *ab initio Pallii usus*, & alterum novæ Metropoli quam *Celsus* constituerat. Ibi à Pontifice, Hiberniæ Legatus factus est, ob decrepitam ætatem Gilleberti Episcopi Limericensis: Atqui de Palliis, hoc responso dimissus, tantam rem solenniter agi debere, & communi Concilii Hibernici voto. Anno deinde 1148, iter denuò suscepit Romam versùs, sed in via decessit, in Cœnobio Clarevallensi, febri absumptus 2 Novembris, ætatis suæ 54, & ibidem honorificè sepultus est. Sed festum ejus translatum fuit ad diem sequentem, vel ad 5 Novembris, ut vult Andreas Saussaius, in Martyrologio Gallico. Vide Epitaphia de eo, apud Christophorum Henriques nuper ordinis Cistertiensis Historiographum generalem. Reliquiæ ejus in Hiberniam translatæ sunt anno Dom. 1194, *& in Monasterio Mellifontis & cæteris Monasteriis ordinis Cistertiensis, cum magno honore receptæ*, ut ex Annalibus MSS. cœnobii B. Mariæ virginis juxta Dublin. intelligimus. Scripsit Malachias, inter alia, Prophetiam de Pontificibus Romanis, quam edidit Arnoldus Wion, in Ligno suo vitæ, cum adjuncta expositione Alphonsi Ciaconii, ordinis Prædicatorum, usq; ad Urbanum VII, quam continuârunt, alii usque ad nostra tempora. Qui plura de Malachia nostro scire volet, petat historiam vitæ ejus, à S. Bernardo perscriptam.

GELASIUS.

GELASIUS.

ADicanti *Malachiæ* ſucceſſit *Gelaſius* filius *Roderici*, Cœnobii Derenſis Canonicus Auguſtinianus primùm, deinde per 16 annos Abbas, conſecratus anno 1137. Nigellus quidem (de quo ſuprà diximus) ſe denuò in hanc ſedem, amicorum potentiâ, intruſerat, ſtatim verò, ſicut anteà ſub *Malachia*, repulſus eſt, & introductus *Gelaſius*. Biennio poſteà, Nigellus ille è vita migravit, errata vitæ, lachrymis ut ferunt & pœnitentiâ expians. Sub eodem etiam tempore, Januarii 29, mortem obiit Mælbrigidus O-Brolcain Gelaſii ſuffraganeus, (quem aliqui epiſcopum vocant Armachanum) vir multis præditus virtutibus. *Gelaſio* ſedente, Johannes Paparo Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Damaſo, anno 1152, ab Eugenio 3. Pontifice in Hiberniam Legatus miſſus, 4 Pallia ſecum detulit, quæ in Synodo habitâ menſe Martio, 4 Archiepiſcopis tradidit, Armachano ſc. Dublinienſi, Caſſelienſi & Tuamenſi. De loco Synodi, variant Scriptores: Nam aliqui in *Mell*, ſive cœnobio Mellifontis, alii Kenanuſæ, ſive Kenliſæ, (quam hodiè contractè *Kells* dicimus) in Midia habitam volunt. Et plerique ſanè locum Kenanuſæ deſignant. In ea Synodo, cuilibet Archiepiſcopo, certus Suffraganeorum Epiſcoporum numerus ſubjectus eſt & aſſignatus. Quâ de re, vide, ſi placet, quæ ſcripſimus, lib. de Antiquitatibus Hibernicis, cap. 16. ubi & nomina interſeruntur Epiſcoporum qui Synodo illi interfuerunt. *Gelaſius* annos poſteà plurimos vixit, ſed ſenio tandem & laboribus fractus, diem clauſit extremum 27 Martii 1174, ætatis ſuæ 87. De eo vide plura, apud Colganum, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad 27 Martii, ubi vita ejus fusè deſcribitur, è qua pleraq; hauſimus quæ de illo, hîc loci perſcripta ſunt. Non tamen hîc prætermittendum *Gelaſium* anno 1162, vel 1163. Synodum coëgiſſe 26 Epiſcoporum in loco *Cleonad* dicto, in quâ decretum eſt, ut nullus deinceps ad Theologiam publicè prælegendam admitteretur, niſi qui Academiæ Armachanæ fuerat alumnus.

CORNELIUS.

SUcceſſit *Gelaſio Cornelius* (al. *Concobarus*) filius *Concaledi*, Abbas cœnobii SS. Petri & Pauli Armachæ, qui Romæ deceſſit anno 1175, vel 1176.

GILBERTUS.

Gilbertus (al. *Gilcomge*) *O-Caran*, ſucceſſor ejus, Epiſcopus aliquandò Rapotenſis, deceſſit 1180. Paulò ante obitum ejus, nimirùm anno 1179, Eccleſia Cathedralis, unà cum cœnobio SS. Petri & Pauli, 2 cœnobiis Moniarium, & maxima Armachæ parte, incendio abſumpta eſt. Dedit is cœnobio B. Mariæ juxta Dublin. villam de Ballibaghal, (in agro Dublinienſi) quæ nomen habet à baculo S. Patricii.

MÆLISA O-CARROLL.

Mæliſa O-Carroll, Epiſcopus Clochorenſis, electus Armachanus Archiepiſcopus, in itinere Romam verſus obiit 1184. Inter alia, dediſſe fertur cœnobio Clochorenſi Caſulam (ſive Planetam Presbyteri) & Mitram.

AMLAVUS.

QUi ſucceſſit *Amlavus O-Murid* obiit anno Domini 1185. De eo nihil præterea traditum reperi.

THOMAS O-CONNOR.

POſt *Gilberti* obitum, eccleſiæ Armachanæ præfectus eſt *Thomas* (al. *Tomultachus*) *O-Connor*, quem Author Annalium Monaſterii B. Mariæ virginis juxta Dub in. *Virum* vocat *nobilem & honeſtum*. Vix quadriennium in Pontificatu exp everat, quando ejus pertæſus, (tumultus fortè bellicos dec inans) ſponte abdicavit, locumque ceſſit Mæliſæ O-Carrol Epiſcopo Clochorenſi, de quo ſuprà diximus. Mæliſâ verò mortuo anno 1184, ejuſq; ſucceſſore Amlavo defuncto itidem anno ſequente, ſedem relictam repetiit, ubi cùm 16 annos poſteà præfuiſſet, mortem obiit anno 1201, & in cœnobio Mellifontis honorificè ſepultus eſt.

EUGENIUS.

POſt mortem *Thomæ O-Conner*, orta eſt diſcordia, de novi Archiepiſcopi electione, inter Simonem de Rupeforti Epiſcopum Midenſem, Radulphum *le Petit* (ſive Parvum) Archidiaconum Midenſem & Humfredum de Tikhull, quolibet eorum ſe pro electo gerente. Johannes Rex Tikhullo Archiepiſcopatum contulit 4 Maii 1202. Atqui à Papa, *Eugenius mac Gillevider* Archiepiſcopus renuntiatus eſt. In eum igitur ita commotus

motus est Rex, ut 22 Maii 1203, suffraganeos ejus omnes, per literas cavere jusserit, nè eum pro Archiepiscopo agnoscerent. Posteà, sub finem ejusdem anni, *Tikbullo* (nescio an ante insulas susceptas) defuncto, *Radulphi* Archidiaconi Midensis electionem comprobavit. Sed neque is etiam Præsulatum obtinuit: Nam *Eugenius* tandem in gratiam Regis receptus, Ecclesiæ Armachanæ præfuit usque ad annum 1216, quo Romæ è vivis excessit, postquàm Concilio generali Lateranensi ibi celebrato interfuisset. Hunc *virum fuisse magnæ honestatis & vitæ laudabilis* perhibet Author Annalium cœnobii S. *Mariæ* juxta Dublin.

LUCAS de NETTERVILL.

Lucas de Nettervill, Archidiaconus Armachanus, à Capitulo ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus electus anno 1217, in Angliam (secum ferens *Decretum* Capituli) trajecit. Sed hanc electionem noluit Rex confirmare, quòd facta fuerit, sine licentia ejus. Impetratâ tandem eligendi licentiâ, repetitâ electione, jam denuò designatus, assensum Regium obtinuit, & à Pontifice confirmatus Pallioque donatus, à *Stephano Langtono* Archiepiscopo Cantuariensi consecratus est. Dum hæc aguntur, tres anni elapsi sunt, ita ut in Hiberniam non rediret, ante 14 Octobris 1220. Decessit Aprilis 17, 1227, & in cœnobio Mellifontis, sicut ipse mandaverat, sepultus est. Fratribus Prædicatoribus (sive Dominicanis) is sedem Pontanæ molitus est.

DONATUS O-FIDABRA.

Donatus O-Fidabra, Episcopus Clochorensis, eodem ipsomet anno huc translatus est. Assensum Regium obtinuit 20 Septembris. Obiit in Anglia anno 1237, mense (ut videtur) Octobri, in reditu à Roma. Dum Episcopus esset Clochorensis, ædes Episcopales construxit Clochoræ, prope cœnobium B. Mariæ.

ALBERTUS COLONIENSIS.

VAcavit sedes per triennium, post Donati mortem. *Henrico* 3 rege Angliæ interim satagente, ut *Robertus Archerus* ordinis Prædicatorum præficeretur. Septembris tandem 30, 1240, *Albertus*, *Matthæo Parisiensi* (sed malè) Andelmus, Colonensis, Westmonasterii, consecratus est à *Waltero de Cantelupo* Wigornensi Episcopo, Præsentibus Rege, Othone Legato Pontificio, & Episcoporum quamplurimis. Permutavit ille cum *Hugone de Lacy* comite Ultoniæ, *terras de Coulrath in Toscard*, (quas comes per vim occupaverat) *pro terris de Machirgallin*

& Mannerio de Nobbir. Ut ex Archivis Regiis liquet. Præfuit annos circiter 7. Resignavit anno 1247, & in partibus transmarinis decessit.

REINERIUS.

EOdem anno, *Reinerius*, (aliis *Reginaldus*,) ordinis Prædicatorum, Romæ consecratus successit, & mense Junio, Armacham primò pervenit: Romæ is obiit anno 1256. Executores testamenti fuerunt Patricius Scanlainus Rapotensis & Milo de Dunstable Ardachadensis Episcopi, necnon Bertrannus Archidiaconus Armachanus. An *Reinerius* hic Anglici fuerit generis necne, non comperi. Puto extraneum fuisse. Archiepiscopum quendam Armachanum obiisse Londini, mense Aprili 1258, *qui quandoque Decanus ecclesiæ S. Pauli extiterat*, asserit *Matthæus Parisiensis*, in Historia sua majore. Atqui in nomine sedis error est manifestus: nam is qui tunc ibi obiit, fuit *Walterus de Salern* Archiepiscopus Tuamensis, qui sanè aliquandò Decanus fuerat ecclesiæ S. Pauli Londinensis, ut tam ex Annalibus cœnobii Loghkæensis, quam ex Archivis Regiis (an. 41. Hen. 3.) quæ in turri Londinensi asservantur, liquit. *Reinerius* hic detraxit à diœcesi Clochorensi comitatum Louthensem, & Armachanæ adjunxit. Quâ de re fusius posteà, inter Clochorenses.

ABRAHAMUS O-CONELLANI.

Abrahamus O-Conellan, in Archivis Regiis dictus *Magister Abraham, Archipresbyter ecclesiæ Armachanæ*, successor electus, regium obtinuit assensum Octobris 18. 1257. Romam deinde profectus est, ubi à Papa itidem confirmatus est & Pallio ornatus. In patriam reversus, Armachæ solenniter receptus est à Decano & Capitulo, mense Junio 1258. Præfuit exigno tempore, nam 21 Decembris (die S. Thomæ Apostoli) anno 1260, ab hac luce migravit.

PATRICIUS O-SCANLAIN.

FEbruarii 27, qui Conellani obitum insequutus est, Capitulo Armachano concessa est à Rege successorem eligendi facultas. Totius deinde Capituli consensu, *Patricius O-Scanlanus*, ordinis Prædicatorum, tunc Episcopus Rapotensis, electus est Archiepiscopus. Electio hæc à Rege confirmata & per literas Papæ enixè commendata, ab ipso Papa (Urbano 4.) per bullam datam Nonis Novembr. 1261, approbata est. Anno sequenti, Synodum Provincialem Pontanæ coëgit. Statutorum pars aliqua habetur in Regesto Octaviani de Palatio Archiepiscopi Armachani,

chani, fol. 282. a. Ecclesiam cathedralem S. *Patricii* Armachæ, *Patricium* hic restauravit & multum ornavit, ac Minoritis in eadem urbe sedem instituit. Obiit Dondalkæ in cœnobio S. *Leonardi*, Martii 16, 1270 & Pontanæ sive Droghedæ, in cœnobio Prædicatorum sepultus est.

NICHOLAUS mac-MOLISSAI.

QUi successit, *Nicholaus* filius *Molissæ*, consecratus est 1270, & cùm sedisset annos circiter 31, obiit demum 10 Maii 1303 ob facundiam & prudentiam celebris. Hic, præter libros, vestimenta Ecclesiastica pretiosa, & alia, quæ Ecclesiæ suæ Armachanæ dederat, annuam etiam 20 marcarum pensionem ejusdem Ecclesiæ fabricæ, ex Mannerio suo de *Termon-Feichan* pendendam contulit, & Sedi præterea suæ appropriari curavit Mannerium de *Dromyskin*.

JOHANNES TAAF.

Nicholao successor designatus est à Decano & Capitulo, *Michaël* quidam, Minorita, & ejusdem ordinis, Armachæ, Lector, qui assensum Regium obtinuit Octobris 8. 1303. Is verò inter Archiepiscopos Armachanos non numeratur, quòd consecratus non fuerit. Vacavit sedes Armachana post *Nicholai* obitum, annos fere 3, tumq; à Papa provisus consecratus est *Johannes Taafus*, qui in partibus transmarinis obiit anno 1306, & sedem suam, post insulas susceptas, nunquam vidit.

WALTERUS de JORSE.

Walterus de Jorse, ordinis Prædicatorum, (*Thomæ Jorsei* Cardinalis S. *Sabinæ* frater) à *Nicolao* Cardinale Ostiensi consecratus est, ut è Bulla *Clementis* 5 data 8 Idus Augusti, Pontificatus sui 2, inter Archiva turris Londinensis asservata, liquet. Archiepiscopatum is resignavit 16 Novembris 1311. Hic sex habuit fratres uterinos, qui omnes ejusdem fuerunt ordinis Prædicatorum. Fortè is idem fuit *Walterus Anglicus*, quem Raphaël Volaterranus Commentariorum Urbanorum lib. 21, *Edwardi regis Angliæ fuisse Confessorem, & Gennæ* in Italia *sepultum* asserit.

ROLANDUS de JORSE.

Rolandus de Jorse, Dominicanus itidem & dicti *Walteri* frater germanus, à Papa provisus successit, Temporalibus à Rege restitutus Septembris die 15, anno 1313. Is porrò Archi-

episcopatu se abdicavit Martii 20, 1321. *Rolando* quidam subjiciunt *Walterum de la Pole*, eumque interfuisse asserunt prælio anno 1318, quo cæsus est Edwardus Bruisius Scotorum regis frater, qui Regis Hiberniæ titulum sibi vendicârat. Hujus rei apud me suspecta est fides. Siquidem in Archivis regiis nulla sit *Walteri* illius mentio, & constat præterea ex iisdem Archivis, Segravium qui successit Temporalibus fuisse restitutum, per *Rolandi* resignationem.

STEPHANUS SEGRAVIUS.

Stephanus Segravius, Rector Ecclesiæ Stepneyensis prope Londinum, aliquando Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, nobili ortus prosapâ, à *Johanne* 22 Papa provisus 1323. ab *Edwardo* 2 Rege Angliæ consecratus est & *temporalibus* (ut loquimur) sive prædiis Episcopalibus restitutus Julii 31. 1323. Literas in ejus gratiam ad eundem Pontificem, anno 1331, scripsit *Edwardus* Rex quibus eum, inter alia, laudat, *propter generis claritatem, morum honestatem, eminentis scientiæ perfectionem, & curæ pastoralis probatam solicitudinem.* Mortem obiit anno 1333, die (ut videtur) 27 Octobris.

DAVID O HIRAGHTY.

David O-Hiraghty, aliis *Mac-Oreghty Avenione* sacratus, temporalium habuit restitutionem, Martii 16, 1334. Ad Parlamentum Dublinii habitum sub D. *Johanne Charletono*, *Hiberniæ* Justitiario, is vocatus anno 1337, *fecit providentiam in Monasterio Beatæ Mariæ juxta Dubliniam, sed impeditus fuit per Archiepiscopum* (Dublinensem) *& Clericos, quia voluit portari crucem ante eum, & noluerunt permittere eum.* Ita *Christophorus Pembrigius*, in Annalibus Hiberniæ, à *Camdeno* editis, ad finem Britanniæ suæ. Obiit secundùm Annales Nenaghtenses, in festo S. Brendani Clonfertensis, (hoc est 16 Maii,) 1346. Sed perperàm ibi appellatur *David O-Ferrall.* Pembrigius in dictis Annalibus, tempus obitus ejus ad annum refert 1337, in eo multùm hallucinatus.

RICHARDUS filius RADULPHI.

Richardus filius *Radulphi*, aliis *Richardus Radulphus*, S. Theologiæ Doctor ex Academia Oxonienſi, ejusdémque Academiæ Cancellarius anno 1333, factus est primùm Decanus Lichfeldensis, & deinde à Clemente 6 Pontifice, provisus Archiepiscopus Armachanus, consecratus est Exoniæ 8 Idus Julii 1347, à *Johanne de Grandisono* episcopo Exonienſi & tribus aliis Episcopis.

pis. Raphaël Volaterranus Cardinalem Armachanum eum appellat, (Commentariorum Urbanorum lib. 3. & 21.) At perperàm opinor. Certè Alphonsus Ciaconius & Onuphrius Panuinius in suis Cardinalium Catalogis, nullam illius mentionem faciunt. Theologus fuit doctissimus, & in concionibus assiduus. Habeo ego librum MS. Sermonum ejus, partim Lichfeldiæ, Londini & alibi in Anglia, partim Droghedæ, Dundalkæ, Trimmæ, & in aliis Provinciæ suæ locis, partim Avenione in Gallia, habitorum, qui testes sunt locupletissimi eruditionis & aliarum ejus virtutum. Sed de operibus ab eo compositis, vide, si placet, quæ scripsimus, lib. 1. de Scriptoribus Hiberniæ. Anno 1356, in Angliam trajecit, ubi in concionibus quibusdam Londini habitis, 9 *conclusiones* (ut ipse loquitur, in *Defensorio* suo *Curatorum*) *expressit* contra ordines fratrum mendicantium, ob quas *conclusiones* Guardianus ordinis Minorum Armachæ, & alii tam ejusdem ordinis, quam ordinis Prædicatorum, Avenionem eum citari curârunt. Illuc igitur profectus, per triennium hæsit, ubi & priusquàm hæ tempestates sedatæ fuerunt, decessit 16 Kalend. Decembris 1360. Ad quem annum in Annalibus Hiberniæ à Camdeno editis, ita legimus, An. 1360. *obiit Magister Richardus filius Radulphi Archiepiscopus Armachanus in Hannonia XVI Decembris.* Sed rectiùs in MS. exemplari eorundem Annalium, *in curia, Avinione sc. XVI. Calend. Decembris.* Ossa ejus à Stephano de Valle Midensi Episcopo, circa annum 1370, Dundalkam (ubi natus est, & titulo S. *Richardi de Dundalk* innotuit) translata dicuntur. Tantæ porrò fuerunt illi virtutes, tantáque miracula ei adscripta, ut posteà Bonifacius IX miracula ea, diplomate commisso *Johanni Coltono* Archiepiscopo Armachano, *Richardo Yong* electo Bangorensi, ac Abbati cœnobii Osneyensis prope Oxoniam, examinanda jusserit. Cæterùm res tota sub eâ Commissione, quasi sensim silentio expiravit. De hac re, vid. Lucæ Waddingi Annal. Minorum, Tom. 4.

MILO SWEETMAN.

Milo Sweetman, Thesaurarius ecclesiæ Kilkennensis ad hunc Præsulatum evectus est 1361, vir prudens & eruditus. Electus is anno præcedente Episcopus Ossoriensis, Avenionem, ut confirmationem à Papa impetraret, iter arripuit. Sed ante adventum, Innocentius 6 Episcopatum illum contulerat Johanni de Tatenal. Attamen ut *Miloni* satisfaceret, Archiepiscopum eum posteà declaravit Armachanum. Annos hic præfuit ferè 19, & decessit in mannerio suo *de Dromyskin*, Augusti 11, 1380.

JOHANNES COLTON.

SUccessit *Johannes Coltonus*, Tiringtonæ in comitatu Norfolciensi natus, Decretorum Doctor ex Academ. Cantabrig. primus Gonvillanæ Aulæ ibid. Custos constit. 1348. Decanus posteà eccleſiæ S. Patricii Dublinienſis, & Hiberniæ ad tempus tam Cancellarius quàm Juſtitiarius. Defuncto enim Edmundo de Mortuo mari comite Marchiæ & Ultoniæ, Hiberniæ *Locum-tenente*, Coreagiæ in cœnobio Prædicatorum 26 Decembris (die S. *Stephani*) 1381, die proximo ſequenti, is Juſtitiarius conſtitutus muneris illius ſacramentum ibi præſtitit. A Papa deinde proviſus Archiepiſcopus Armachanus, Temporalium accepit reſtitutionem Martii 9, 1382. Miſſus is fuit ad curiam Romanam, circa negotia *Richardi* 2. regis, unà cum *Johanne Whitehead* Theologiæ Bacalaureo & *Richardo Moor* vicario de Termon-Feichan. Obiit 5 Calend. Maii 1404, & Droghedæ in Eccleſia S. *Petri* ſepultus eſt, cùm paulò ante obitum, Præſulatu ſe abdicâſſet. Cœnobium monachorum Benedictinorum S. *Andreæ*, in agro Dunenſi, *Black Abbey* vulgò dictum, à cœnobio B. *Mariæ de Lonley*, in Normannia, cui Cella fuerat, comparatum, is ſedi ſuæ contulit. Vir fuit doctrinâ & virtutibus clariſſimus. Supereſt Conſtitutionum Provincialium ab eo promulgatarum pars aliqua.

NICHOLAUS FLEMING.

NIcholaus *Fleming*, Presbyter ſecularis, poſt *Coltoni* reſignationem, à *Bonifacio* Papa 9, Archiepiſcopus renuntiatus, conſecratus eſt Calendis Maiis 1404, & menſe Junio 1416, ex hac vita migravit, ſepultus Droghedæ in eccleſia S. *Petri*. Extant Conſtitutiones Provinciales ab eo promulgatæ, & Regeſti ejus pars aliqua.

JOHANNES SWAYN.

JOhannes *Swayn*, Rector eccleſiæ Caltrimenſis in Midia, conſecratus eſt Archiepiſcopus Armachanus Romæ, ſub initium Februarii (ſtylo Anglicano) 1417. Anno deinde 1421, in Angliam miſſus eſt à Parlamento, unà cum *Chriſtophoro Preſtono* equite aur. ad regem *Henricum* 5 informandum, de Statu Hiberniæ, & gravaminibus non paucis neceſſariò ibi corrigendis. Sed cùm ſediſſet annos pluſquàm 21, ingraveſcente ſenectute, Præſulatum ſponte reliquit, anno 1439. & poſt aliquot annos defunctus, Droghedæ, in Eccleſia S. *Petri* (ubi capellam & cantariam S. *Annæ* fundaverat) ſepultus eſt.

JOHAN.

JOHANNES PRENE.

Johannes Prene, Juris utriúsque Bacalaureus & Archidiaconus Armachanus, proviſione *Eugenii* 4 Papæ, Archiepiſcopus deſignatus Armachanus ſucceſſit, conſecratus ſub finem Novembris 1439, & menſe Junio anno 1443, in vivis eſſe deſiit, in mannerio ſuo de Termon-Feichin, & ibidem in cancello eccleſiæ S. *Feichini* ſepultus eſt.

JOHANNES MEY.

Johannes Mey, utriúsque Juris Bacalaureus & Officialis curiæ Midenſis, ab antedicto *Eugenio* 4, præfectus, conſecrationem obtinuit Junii 20 1444. Obiit 1456, cùm ſediſſet annos pluſquàm 12, conſtitutus intereà ad tempus *Deputatus* (ut loquimur) *Jacobi Butleri* comitis *Ormoniæ* & *Wiltoniæ*, *Locum-tenentis Hiberniæ*.

JOHANNES BOLE.

Johannes Bole, Abbas cœnobii B. Mariæ Navanenſis in Midia, conſecratus eſt menſe Junio 1457, & Februarii 18 1470, è vivis exceſſit. Dum Abbas eſſet Navanenſis, indulgentias quaſdam à *Nicholao* 5 Pontifice impetravit peregrinationes ad dictum cœnobium ſuſcipientibus, & ad fabricam vel ornatum ejuſdem oblationes exhibentibus. Ad ejus rogatum, rex *Edwardus* 4 confirmavit privilegia ſedis Armachanæ, 5 Aprilis 1467. Extant etiamnum inter Archiva Eccleſiæ Armachanæ, in uno volumine, Regeſta hujus *Johannis* & trium ejus proximorum prædeceſſorum. A nonnu lis fit mentio Humberti de Rotomago ordinis Prædicatorum tanquàm Archiepiſcopi Armachani, anno 1464, verùm quia certò conſtat *Bolæum* tunc ſedi Armachanæ præfuiſſe, Humbertum illum (de quo nulla fit mentio in Archivis noſtris) inter Archiepiſcopos non numeravi. *Bolæo* mortuo, cuſtodia temporalium ſedis Armachanæ commiſſa eſt *Richardo Lango* Epiſcopo Darenſi, 5 Maii 1470, quorum fructus cùm per annos 4, percepiſſet, Decanus (*Carolus O-Mellan*) & Capitulum eccleſiæ cathedralis Armachanæ, per literas Pontificem enixè rogârunt, ut *Richardum* eum ſedi Archiepiſcopali ingereret. Hujus Epiſtolæ exemplar in Archivis Eccleſiæ Armachanæ videre eſt. Sed *Sixtus* 4 tunc Papa poſtulationem hanc repulit, & Archiepiſcopatum contulit *Johanni Foxalls*.

JOHANNES FOXALLS.

POst *Bolæi* obitum, per quinquennium fermè ſedes vacavit, ad eam verò tandem conſecratus eſt *Johannes Foxalls*, ordinis Minorum. Obiit is in Anglia, anno à conſecratione ſecundo, cùm (uti videtur) ſedem ſuam non vidiſſet.

EDMUNDUS CONNESBURGH.

EDmundus Connesburgus, conſecratus 1477, reſignavit 1479. Sub eo, *Octavianus de Palatio*, (qui & ei ſucceſſit) Archiepiſcopatum adminiſtravit, hoc uſus titulo; *Nuncius Sedis Apoſtolicæ & eccleſiæ cathedralis Metropoliticæ & Hiberniæ Primatialis Armachanæ in ſpiritualibus & temporalibus generalis Gubernator, ſpecialiter deputatus.* Ut ex Regeſto ejus liquet, fol. 6.a.

OCTAVIANUS de PALATIO.

OCtavianus de Palatio, Florentinus, Juris Canonici Doctor, à *Sixto* 4 in *Conneſburgi* abdicantis locum ſuffectus, conſecrationem obtinuit paulò ante exitum Martii 1480. In hoc, non ſine laude nominandus, quòd quo tempore Rex *Henricus* Septimus, à quamplurimis in Hibernia magnæ potentiæ viris deſertus fuit, à debita fidelitate nunquam diſcedere voluerit, aut adverſæ parti adhærere, licèt multis inde ærumnis & difficultatibus conflictatus fuerit. Deceſſit grandævus, menſe Junio 1513. cùm ſediſſet annos 33, & 3 menſes, quo temporis ſpatio Synodos provinciales non paucas celebravit, in Regeſto ſuo memoratas. Sepultus eſt Droghedæ, in Eccleſia S. *Petri* in crypta à ſeipſo conſtructa.

JOHANNES KITE.

IOhannes Kite, in civitate Londinenſi natus, *Henrici* Regis aliquando Legatus in Hiſpania, vir ob menſam hoſpitalem celebratus, à Leone 10 proviſus, ante exitum anni 1513, Temporalibus (ut loquimur) hujus ſedis reſtitutus eſt 20 Maii 1514, ſed Auguſti 3 1521, reſignavit, factus deinde Archiepiſcopus Thebanus in Græcia, & epiſcopus Carleolenſis in Anglia. Vixit poſteà uſque ad 19 Junii 1537, quo die Stepheiæ prope Londinum, grandævus deceſſit, ibique in medio fermè cancelli, verſùs aquilonem, tumulatus eſt, ſub marmore, cui inciſum eſt claudicante rhythmo, Epitaphium Anglicum, tam docto ſeculo indignum. Qui Epitaphium legere avet, Weeverum petat, Monumentorum Funebrium pag. 539 & 540.

GEORGIUS

GEORGIUS CROMERUS.

SUcceſſit ei in Archiepiſcopatu Armachano, *Georgius Cromerus*, Anglus, vir gravis, eruditus & moribus placidiſſimis, conſecratus in Anglia, menſe Aprili prædictam reſignationem inſequenti. Menſe Julio 1532, *Geraldi* comitis Kildariæ operâ, Hiberniæ conſtitutus eſt Cancellarius, amoto ab eo munere, *Johanne Alano* Dublinienſi Archiepiſcopo, id quod occaſionem dedit priores augendi inimicitias inter Kildarium & Alanum. Hoc munere per biennium poſteà functus eſt, tunc verò amoto, ſucceſſor deſignatus eſt *Johannes Barnewallus* Baro Trimletſtonius. Exceſſit ex hac vita *Georgius* 16 Martii 1542, ſtylo Anglicano, vel ſi initium anni deducamus à Calendis Januarii, 1543.

GEORGIUS DOUDALLUS.

GEorgius *Doudallus*, patriâ Louthienſis, *Cromeri* prædeceſſoris *Officialis*, ad Sentlegeri Proregis rogatum, ſucceſſit, vir gravis & eruditus, ac in concionibus aſſiduus, ab *Edwardo Stapleo* Midenſi & aliis epiſcopis (*Henrici* 8 mandato) ſub initium Decembris 1543. Regnante *Edwardo* 6, exul ad tempus in partibus tranſmarinis vixit, Archiepiſcopatu interim *Hugoni Goodacro* conceſſo, ſed à Maria Regina, ſub exitum anni 1553 revocatus, Martii inſequentis 12, titulo *totius Hiberniæ Primatis*, quem jam dictus *Edwardus*, *Georgio Brouno* Archiepiſcopo Dublinienſi conceſſerat, diplomate regio reſtitutus eſt. Atque ita Archiepiſcopatum, titulúmque eidem annexum quaſi poſtliminio recepit. *Doudallo* huic, necnon *Guilielmo Walſbeo* electo Midenſi & aliis auctoritas data eſt menſe Aprili ſequenti, ad deprivandos Epiſcopos & Sacerdotes conjugatos. Ab his proinde, Junii 29, (die SS. *Petri* & *Pauli*,) *Edwardus Stapleus* Epiſcopus Midenſis exauthoratus eſt. Item ſub exitum iſtius anni, vel initium inſequentis, ſimiliter actum cum *Brouno* Archiepiſcopo Dublinienſi, Lancaſtero Darenſi & Traverſio Leghlinenſi Epiſcopis. Cæteri omnes Epiſcopi, præter *Balæum* Oſſorienſem, qui in partes tranſmarinas profugerat, & Caſeium Limericenſem, Præſulatus retinuerunt. Anno poſteâ 1558, in Angliam trajecit *Doudallus*, ob Eccleſiæ negotia, ubi Londini, Auguſti 15, è vita migravit. Epitaphium ejus habetur in Regeſto ſuo,

quod ſi lubet conſule. Inde hos duos verſiculos tranſcripſimus:

Dum patriæ ſtudio, celebres proficiſcor ad Anglos,
Londini ſummum fata dedere diem.

Non hîc prætermittendum, vivente ſedis Armachanæ poſſeſſore *Georgio Dondallo*, cui Archiepiſcopatum illum contulerat *Henricus* Octavus, *Robertum Wancopum*, aliis *Venantium*, *Scotum*, à *Paulo* 3 Pontifice proviſum Archiepiſcopum Armachanum, qui licèt à puero cæcus, ita tamen aſſiduam litteris navârat operam, ut *Lutetiæ* S. Theologiæ Doctor evaderet. Interfuit is Concilio Tridentino, à ſeſſione prima, anno 1545, ad undecimam, anno 1547. Legatus dicitur à Latere, à Pontifice in Germaniam miſſus, atque inde ortum apud Germanos proverbium, *Legatus cæcus ad oculatos Germanos.* Ejus operâ, Jeſuitæ primùm Hiberniam ingreſſi ſunt. Obiit *Lutetiæ*, in conventu Jeſuitarum, Novembris 10, 1551.

HUGO GOODACRUS.

HUgo *Goodacrus*, S. Theologiæ Bacalaureus, vivente etiam adhuc *Dondallo* in partibus tranſmarinis, ab *Edwardo* Sexto ad hunc Præſulatum evectus eſt, Dublinii in eccleſia S. Trinitatis, conſecratus Februarii 2 1553, vel (ſtylo Anglicano) 1552, unà cum *Johanne Balæo* Oſſorienſi, à *Georgio* Dublinienſi Archiepiſcopo, *Thoma* Darenſi & *Eugenio* Dunenſi Epiſcopis. *Goodacrus* obiit Dublinii, 1 Maii inſequentis, & in Eccleſia (ni fallor) S. *Patricii* ſepultus eſt, cùm Archiepiſcopatum vix deguſtâſſet.

ADAMUS

ADAMUS LOFTUS.

PEr aliquot deinde annos ſedes vacavit, cui demum præficitur à Regina *Elizabetha*, *Adamus Loftuſius*, S. Theologiæ Bacalaureus, *Thomæ* comitis Suſſexiæ Hiberniæ Proregis primùm, & poſteà Reginæ *Elizabethæ* Sacellanus, in commitatu Eboracenſi natus, conſecratus ab *Hugone Curvino* Archiepiſcopo Dublinienſi & aliis Epiſcopis, ſub initium Martii anno 1562 (ſtylo Anglicano) defuncto, eidémque *Hugoni* anno 1567, die 8 Auguſti, in ſede Dublinienſi ſucceſſor datus, cùm paulò antè, Cantabrigiæ, ubi fuerat educatus, S. Theologiæ Doctoris gradum, unà cum *Johanne Whitgift* poſteà Cantuarienſi Archiepiſcopo & aliis, conſecutus fuiſſet. Bis factus eſt magni Sigilli Cuſtos, ac poſteà Hiberniæ conſtitutus Cancellarius, eo munere, ad mortem uſque functus eſt. Ter fuit unus è Juſtitiariis Hiberniæ, annis nimirum 1582, 1597 & 1599. Primus denique fuit Præpoſitus Collegii S. Trinitatis juxta Dublin. Deceſſit Dublinii, ſenectute gravis, Aprilis 5, 1605, in Palatio S. Sepulchri, & in eccleſia S. *Patricii* ſepultus eſt, exactis in ſede Dublinienſi annis 37 & menſibus fermè 8, annis verò à conſecratione. 42.

THOMAS LANCASTER.

Thomas Lancaſter, Anglus, Theſaurarius Sarisburienſis, Reginæ *Elizabethæ* à ſacris, conſecratus eſt Dublinii in eccleſia S. Trinitatis, ab *Adamo* Dublinienſi Archiepiſcopo, Hugone Midenſi & *Roberto* Darenſi epiſcopis, Junii 13, 1568. Obiit conſecrationis 16, Pontanæ ſive Droghedæ ſepultus, in eccleſia S. *Petri*, in crypta nempe Octaviani de Palatio Prædeceſſoris.

JOHANNES LONG.

Johannes Long S. Theologiæ Doctor, in civitate Londinenſi natus, & in Collegio Regio Cantabrigiæ educatus, ſucceſſit, menſe Julio 1584, ad Archiepiſcopatum promotus, & cùm nondum 5 annos ſediſſet, è vivis exceſſit Droghedæ, & ibidem in eccleſia S. *Petri* ſepultus eſt, juxta Lancaſterum.

JOHANNES GARVEY.

Johannes Garvey, Hibernus, Archidiaconus primùm Midensis, deinde 1565. Decanus ecclesiæ S. Trinitatis Dublinii, & *Elizabethæ* Reginæ ab arcanis in Hibernia Consiliis, ad Episcopatum Kilmorensem evectus mense Aprili 1585, retento per dispensationem Decanatu, 10 deinde Maii 1589, Armachanum translatus est, Decanatu tamen retento. Obiit Dublinii 2 Martii (stylo Anglicano) 1594, & ibidem in ecclesia S. Trinitatis sepultus est.

HENRICUS USSERIUS.

Henricus Usserius, patriâ Dublinensis, partim Cantabrigiæ, partim Lutetiæ Parisiorum educatus, ex Archidiacono Dublinensi factus est Archiepiscopus Armachanus, consecratus mense Augusto 1595. Obiit dierum penùs apud *Termon-Feghan*, Aprilis 2, (qui Parasceves dies fuit) 1613, & Pontanæ in Ecclesia S. *Petri* sepultus est.

CHRISTOPHORUS HAMPTONUS.

Christophorus Hamptonus, Caleti natus, S. Theologiæ Doctor, Collegii Christi Cantabrigiæ alumnus, Episcopus Derensis electus, anno 1613, Maii 8, Dublinii, in ecclesia S. *Patricii*, unà cum Jona Ossoriensi Episcopo, à *Thoma* Dublinensi Archiepiscopo, assistentibus *Georgio* Midensi, *Guilielmo* Darensi & *Johanne* Laonensi Episcopis, Archiepiscopus consecratus est Armachanus, factus præterea Regis Eleëmosynarius, & in numerum eorum electus, qui Regi fuerunt ab arcanis consiliis. Mortem obiit Pontanæ, cœlebs, Januarii 3 (stylo Anglicano) 1624, annos natus 73, & ibidem in ecclesia S. *Petri* tumulatus est. Vir gravis & eruditus. Ædes speciosas, Pontanæ is sibi successoribúsque à fundamentis excitavit, & ecclesiam cathedralem S. Patricii Armachæ restauravit.

JAC.

JACOBUS USSERIUS.

Jacobus Usserius, in civitate Dublinienſi natus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Eccleſiæ S. *Patricii* Dublin. Cancellarius, Epiſcopus Midenſis conſecratus eſt Pontanæ, 1621, à *Chriſtophoro* Archiepiſcopo Armachano, *Roberto* Dunenſi, *Thoma* Kilmorenſi, & *Theophilo* Dromorenſi Epiſcopis, ac à *Jacobo* rege, in numerum Conſiliariorum ſuorum Hiberniæ cooptatus. Armacham deinde tranſlatus eſt Martii 21, (ſtylo Anglicano) 1624. Eleëmoſynarius regius paulò antè conſtitutus. Vir propter exquiſitam eruditionem, facundiam, vitæ ſanctimoniam, moréſque humaniſſimos, meritò celeberrimus. Obiit Rigatæ in Surria, 21 Martii 1655, ætatis ſuæ anno 70, quo eodem die, ante annos 31, ab Epiſcopatu Midenſi ad ſedem Armachanam tranſlatus fuerat. Corpus ejus Weſtmonaſterium delatum, ibidem in Eccleſia S. *Petri*, in Capella nempè S. *Pauli*, ſepultum eſt. Vacavit ſedes poſt ejus mortem, annos fermè 5.

JOHANNES BRAMHALL.

Johannes Bramhallus, S. Theologiæ Doctor, in comitatu Eboracenſi natus, & in Collegio Sydneiano Cantabrigiæ educatus, *Thomæ* Vicecomiti *Wentworth*o (poſteà comiti Straffordiæ) Hiberniæ Proregi à ſacris, vir doctus & facundus, conſecratus eſt Epiſcopus Derenſis, in Sacello Caſtri Dublinienſis, 26 Maii 1634, à *Jacobo* Archiepiſcopo Armachano, *Antonio* Midenſi, *Roberto* Dunenſi, & *Richardo* Corcagienſi Epiſcopis, & Januarii 18 1660, ab Eccleſia Derenſi ad Armachanam tranſlatus, cùm paulò antè, primo nempe ejuſdem menſis, admiſſus fuiſſet in ſenatum Concilii Regii. Mortem obiit Dublinii, Junii 25 1663, ætatis anno 70. apoplexiâ correptus, & ibidem in Eccleſia S. Trinitatis ſepultus eſt. Qui plura de eo ſcire volet, petat concionem funebrem R.P. *Jeremiæ* Dunenſis & Connorenſis Epiſcopi, Anglicè editam, vel orationem funebrem *Dudleii Loftuſii* Juris utriuſque Doctoris, Latinè editam.

JACOBUS MARGETSON.

Iacobus Margetſonus, S. Theologiæ Doctor Cantabrigienſis, ejuſdem comitis Straffordiæ Sacellanus, patriâ itidem Eboracenſis, Decanus eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii (*inſtallatus* menſe Decembri 1629) conſecratus eſt Archiepiſcopus Dublinienſis, unà cum undecim aliis Epiſcopis, in eccleſia S. *Patricii* Dublin. 27 Januarii (juxta eccleſiæ Anglicanæ computationem) 1660, à *Johanne* Archiepiſcopo Armachano, *Johanne* Rapotenſi, *Roberto* Kilmorenſi & *Griffino* Oſſorienſi, Epiſcopis, paulo antè, primo nimirum ejuſdem menſis, in numerum allectus Conſiliariorum Regiorum. Sub initium deinde Septembris 1663, ob multiplices virtutes, *Bramhallo* ſucceſſor à *Carolo* 2 Rege deſignatus, Armacham tranſlatus eſt.

DE

DE Episcopis MIDENSIBUS.

IN Midia (sicuti alibi diximus) multæ erant olim sedes Episcopales, Clonardensis nempè, Damleagensis, Kenlisensis, Trimmensis, Ardbaccanensis, Donshaghlinensis & Slanensis, præter alias minoris notæ, quæ omnes, exceptis Damleagensi & Kenlisensi sive Kenanusensi coaluerunt, iisque communis sedes Clonardæ constituta est, ante annum Domini 1152, quo facta est Divisio Episcopatuum Hiberniæ, à *Paparone* Presbytero Cardinale tituli S. *Laurentii* in Damaso, *Eugenii* 3. tunc apud Hibernos Legato, in Synodo absoluta pridie Nonas Martii. Cæterùm duæ illæ Sedes (Damleagensis nempè & Kenlisensis) eandem posteà aleam subjerunt.

S. Finianus.

CLonardæ primus præfuit Episcopus S. *Finianus*, sive *Finanus*, *Fintani* filius, Philosophus & Theologus insignis. Is nobili ortus prosapiâ, sed pietate nobilior, apud S. *David*. Menevensem in Cambria Episcopum aliquandiù commoratus, eiqs ob egregias animi virtutes, valde charus fuit. In patriam reversus, factusque Episcopus, sedem suam *Clonardæ*, in Midiâ, prope Boinum flu. collocavit ubi porrò Gymnasium instituit, quod illius curâ & laboribus, multos progenuit viros, sanctitate & doctrinâ celebres, inter quos fuerunt utérque Kiaranus, uterque Brendanus, uterque *Columba*, (nempè *Columba-cille* & *Columba* filius *Crimthani*) *Laserianus* filius *Nathfraci*, *Cainecus*, *Movæus* & *Ruadanus*, & sicut Schola S. *Finiani* fuit *quasi quoddam totius Sapientiæ Sacrarium*, ut loquitur vitæ ejus Descriptor, ita & ipse *Finianus Sapientis* cognomen adeptus est. Obiit is Decembris 12, anno Salutis 552, aliis 563, & in Ecclesia sua sepultus est. Successorum ejus in sede Clonardensi memoria ad adventum usq; Anglorum in Hi-

berniam, exigua ſupereſt. Hi, excepto *Idunano*, memorantur in Annalibus Hibernicis, ut è Colgano diſcimus, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad diem 23 Februarii.

Senachus epiſcopus Clonardenſis. Obiit 587, 21 Auguſti.

Fulertachus filius *Breci*.

Fiachrius.

Colmanus obiit 8 Febr. 852.

Oſſenius Longus obiit 1 Maii 652.

Ultanus filius *Hua-Cungæ* obiit 1 Julii 664, vel 665.

Becanus obiit 16 Apr. 687.

Colmanus O-Heir obiit 9 Feb. 700.

Dubdanus O-Foëlan Epiſcopus & Abbas Clonardenſis obiit 716.

Aëlchu obiit 726.

Fienamalius filius *Gerthidii* obiit 30 Martii 731.

Tola filius *Dunchadi* Epiſcopus Clonardenſis & Darenſis obiit 3 Martii 732.

Beglatneu.

Colmanus filius *Ailildi* Abbas Clonardenſis & Clonmacnoiſenſis, Epiſcopus & Doctor ſapientiſſimus obiit 7 Febr. 924. Ipſe eſt qui extruxit baſilicam Clonmacnoiſenſem, & de Conalliis Murthemniis traxit originem.

Ferdomnacus filius *Flannagani* obiit 930.

Moctæanus obiit 9 Sept. 940. dictus, *Fons religionis & ſapientiæ Hibernorum*.

Mælſechinius obiit 942.

Becanus filius *Lacnan*, dictus *Comorbanus* (ſive ſucceſſor) S. *Finiani* de *Cluainerairdi* obiit 971.

Faithmanus Comorbanus Finiani obiit 1010.

Tuathalius O-Dunluing Epiſcopus Clonard. ob. 1028.

Tuathalius O-Follanmuin Comorbanus Finiani ob. 1055.

Murchertachus filius *Longſechi* dictus *Comorbanus Finiani* Clonardenſis obiit 1092.

Idunanus dictus *Epiſcopus Midiæ* floruit anno 1096.

Concovarius Comorbanus Finiani obiit 1117.

Fiachrius, Senior Clonardenſium & Midenſium ſanctiſſimus deceſſit 1135.

O-Follamanius Comorbanus Finani Clonardenſis obiit Kenanuſæ, 1150.

Notandum verò in ea ſerie, qui præcisè Epiſcopi, vel *Comorbani*, *vel Seniores* non appellantur, dictos eſſe Abbates tantùm Clonardenſes. Et certò quidem conſtat nomen Abbatis & nomen Epiſcopi, ab Hiſtoricis noſtris, ſæpè confundi, ut ſuprà obſervatum in Catalogo Præſulum Armachanorum.

ELEU.

ELEUTHERIUS.

AD tempus jam venimus, quo Angli hanc insulam ingressi sunt. Sedi Clonardensi tunc præfuit *Ethri O-Miadachain*, *Hovedeno*, *Eleutherius*, qui obiit 1174.

EUGENIUS.

SUccessit ei *Eugenius*, qui sedit annos plùs minùs 20. Paulò ante obitum, stylum is sumpsit Episcopi Midensis, quo omnes jam inde successores ejus constanter usi sunt.

SIMON ROCHFORT.

SIMON *Rochfort*, aliàs *de Rupe forti*, Anglorum primus qui hujus diœcesis regimen susscepit, consecratus est circa annum 1194. Post aliquot annos, Canonicis regularibus ordinis S. *Augustini* cœnobium extruxit, *in nova villa juxta Trimmam*, & ecclesiam dicti cœnobii, (relictâ veteri ecclesiâ cathedrali Clonardensi) in cathedralem erexit, ac honori dicavit SS. *Petri* & *Pauli*. Mortem obiit 1224. cùm in munere Episcopali ita se gessisset, ea fide, (inquam) integritate, & solertiâ, præsertim in clero suæ diœcesis stabiliendo, tam candidis etiam moribus, ac miti ingenio, ut optimi Præsulis laudem apud suos retulerit.

DEODATUS.

Deodatus, Episcopus electus Midensis, assensum regium obtinuit Augusti 29, 1224. Sunt qui ante consecrationem obiisse tradant, paulo ante finem anni 1226. ideoq; ab iis inter episcopos hujus sedis non numeratur. Atqui in charta inserta Regesto cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. quâ litem composuit inter Abbatem dicti Monasterii & Priorem ecclesiæ S. Trinitatis Dublin. 12 Calend. Novemb. 1226, disertè Episcopus Midensis appellatur. Januarii sequentis 26, *Henricus* 3 rex literas perscripsit ad Nettervillum Primatem, ut *Walterum de Brackell* sedi Midensi præficiendum curaret. Sed *Brackello* nescio quare rejecto, *Radulphus le Petit* episcopatum, brevi posteà, ipso rege consentiente, obtinuit.

RADULPHUS le PETIT.

MArtii proximè insequentis 30, confirmata est à Rege electio jam dicti *Radulphi le Petit*, sive Parvi, Archidiaconi Midensis, viri gravis & prudentis. Obiit grandævus 1230, circa

festum S. *Michaëlis*, consecrationis suæ anno 4. Prioratum B. *Mariæ* Mullengaræ, Canonicis Augustinianis hic construxit, & prædiis ditavit.

RICHARDUS de la CORNER.

IAnuarii 11, (stylo Anglicano) 1230, *Richardus de la Corner*, Ecclesiæ S. *Patricii* Dublinienſis Canonicus, à Regè *Henrico* 3 confirmatus, consecrationem Pontanæ, in ecclesia S. *Petri*, obtinuit anno 1232. Cœnobio S. Trinitatis de Lismullen in Midia, (quod soror ejus *Avicia de la Corner* Monialibus ord. S. *Augustini* extruxerat) dedit *Mannerin de Dunsink & Balligodman*. Ecclesiæ suæ magnus præterea fuit Benefactor. Decessit anno 1250.

HUGO de TACHMON.

HUgo *de Taghmon* successit, fortè *Taghmone* natus, & inde pro more ab Ecclesiasticis illorum temporum sæpè usurpato, cognomen sumpsit. Ab *Henrico* 3. is summus Hiberniæ Quæstor, sive (ut loquimur) Thesaurarius constitutus est. Decessit mense Januario 1281, Mullengaræ sepultus, cùm sedisset annos circiter 31. Hunc *virum pium & vitæ venerabilis* appellat Auctor Annalium cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. *Mauritio* filio *Mauritii* Hiberniæ *Justitiario*, huic nostro *Hugoni* & *Johanni de Sanford* Hiberniæ Escaetori, vel uni vel pluribus eorum commissa est potestas ab *Edwardo* 1, (mortuo jam patre) ad sacramentum fidelitatis recipiendum, à Proceribus & *Communitate* Hiberniæ, data Westmonasterii, VII die Decembris 1272.

THOMAS de S. LEODEGARIO.

THomas *de S. Leodegario*, illustri natus familia, sed moribus illustrior, confirmatus est à Rege, 5 Novembris 1282, sed non consecratus usq: ad 3 Novembris 1287. Eo enim die consecrationem accepit Kilkenniæ, in Ecclesia cathedrali S. Canici, unà cum *Rogero de Wexford* Ossorienſi Episcopo, à *Johanne de Sanford* Archiepiscopo Dublinienſi. Post annos deinde 4, in cœtum eorum adscitus est, qui *Edwardo* primo ab arcanis in Hibernia fuerunt Consiliis. Obiit admodùm senex, & per aliquot ante obitum annos valetudinarius, mense Decembri anno Dom. 1320, & à prima electione sua, annis 38.

JOHANNES

JOHANNES O-CAROLL.

Johannes O-Caroll, vel *Mac-Carvill*, (nam sic etiam in Archivis Regiis appellatur) Ecclesiæ Corcagiensis Decanus primùm, deinde Episcopus, ad sedem Midensem translatus est à Papa, anno 1321, & hinc Casseliam 1327. Obiit Londini, sub initium Augusti, 1329, in reditu ab Avenione.

GUILIELMUS de PAUL.

Vilielmus de Paul, ordinis Carmelitarum, & ejusdem ordinis in Anglia & Scotia ad tempus Provincialis, patriâ Eboracensis, Academiæ Oxoniensis alumnus, Lutetiæ porrò ad tempus educatus, à Papa provisus Episcopus Midensis, Avenione consecratus est, & temporalibus posteà restitutus 24 Julii 1327. Obiit mense itidem Julio, 1349, cùm sedisset annos 22. Hunc Lelandus Guilielmum Paganerum vocat, Balæus Paghamum, utérque malè, ut ex Archivis Regiis liquet, in quibus diserte *Guil. de Paul* appellatur.

GUILIELMUS de S. LEODEGARIO.

Vilielmus de S. Leodegario, Archidiaconus Midensis, tam à Clero Midensi electus, quàm à *Clemente* 6 Papa (nullâ electionis habitâ ratione) provisus, consecratus est in Anglia à *Johanne Thursbæo* episcopo Wigornensi & aliis Episcopis 2 Maii 1350, & in festo S. *Bartholomæi* 1352, ex hâc vitâ migravit.

NICOLAUS ALLEN.

Nicolaus Allenus, Abbas cœnobii S. *Thomæ* juxta Dublin. successit, consecratus sub initium anni 1353, obiit Januarii 5 (stylo Anglicano) 1366, cùm ecclesiam suam administrâsset annos ferè 14, factus interea Hiberniæ Thesaurarius, muneris illius sacramentum præstitit 10 Martii 1357.

STEPHANUS de VALLE.

Stephanus de Valle, (aliàs *Wale*,) Decanus Limericensis, à Pontifice provisus Episcopus Limericensis, consecratus est 1360. Præfuit illi sedi annos 9, factus interea summus Hiberniæ Thesaurarius. Huc translatus est ab *Urbano* 5 Papa anno 1369. Obiit intestatus Oxoniæ, 10 Novembris 1379, & ibidem in ecclesia cœnobii Prædicatorum sepultus est.

GUILIELMUS ANDREW.

Guilielmus Andrew, Anglus, ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, ad Episcopatum Achadensem consecratus 1374, ab *Urbano* 6 Pontifice, huc translatus est anno 1380. Post quinquennium decessit, in vigilia S. *Michaelis* Archangeli 1385.

ALEXANDER de BALSCOT.

Successit illi *Alexander Petit*, Episcopus Ossoriensis, vulgò dictus *de Balscot*, à loco nimirum ubi natus est, in comitatu Oxoniensi. Bullæ translationis publicatæ sunt in Ecclesia cœnobii S. *Petri* novæ villæ juxta Trim. Decembris 14 1386. Is ex Canonico ecclesiæ S. Canici Kilkenniæ, ad Episcopatum Ossoriensem provectus, temporalibus illius sedis restitutus est Maii 12 1371. Ab *Edwardo* 3 rege paulò post constitutus est ad tempus Hiberniæ Thesaurarius, deinde à *Richardo* 2, primùm Thesaurarius, posteà Cancellarius, necnon ad tempus, postquàm nimirum factus fuisset episcopus Midensis, Justitiarius. Ecclesiæ Ossoriensi præfuit annos circiter 15, tumq; à Papa ad sedem Midensem translatus est, à clero Midensi anteà postulatus. Mortem obiit apud Ardbracan (villa est in qua Episcopi Midenses residere ut plurimum solebant) 10 Novembris 1400, & Trimmæ in cœnobio B. *Mariæ* sepultus est.

ROBERTUS MONTAIN.

Robertus Montain, Rector ecclesiæ de Kildalky, à Papa provisus successit. Ex Archivis regiis constat custodiam temporalium hujus sedis à morte *Alexandri* concessam fuisse *Roberto Mascal*, Carmelitæ, *Henrico* 4 à Confessionibus, qui brevi posteà factus est Episcopus Herefordiensis in Anglia. Eum enim (ut videtur) huic sedi præficere Rex annisus fuerat, licèt irrito successu. Præfuit *Robertus Montain* annos 10, & 24 Maii 1412, debitum naturæ persolvit.

EDWARDUS DANTSEY.

Edwardus Dantsey, Archidiaconus Cornubiensis, à *Johanne* 23 provisus, admissus dicitur per clerum Midensem, 8 Maii 1413. Obiit Januarii 4 (stylo Anglicano) 1429, cùm sedisset annos plusquàm 16. constitutus interim ad tempus summus Hiberniæ Quæstor, & posteà Deputatus *Johannis de Grey* equitis, Hiberniæ *Locum-tenentis*.

GUIL.

GUILIELMUS HADSOR.

EOdem menſe quo Dantſeius obiit, *Thomas Scurlocus*, Prior cœnobii S. *Petri* novæ villæ juxta Trim, tunc porrò Hiberniæ Theſaurarius, electus eſt Epiſcopus Midenſis. Electus Romam properat, confirmationem à Papa petiturus. Sed ibi ſperatâ (ut videtur) ſede excidit. Certè vel non fuit conſecratus, vel admodùm exiguo tempore ſupervixit. Eo verò ſive rejecto, ſive defuncto, *Guilielmus Hadſor*, natus (ni fallor) in comitatu Louthenſi, Epiſcopus declaratus eſt Midenſis & conſecratus. Exceſſit è vivis, (ut ex Archivis regiis liquet) in feſto Aſcentionis Domini 1434.

GULIELMUS SILK.

QUi ſucceſſit *Guilielmus Silk*, Juris Canonici Doctor, & curiæ Midenſis Officialis, obiit apud Ardbracan, Maii 9 1450, & ſepultus jacet in eccleſia B. *Mariæ de Killeen*. Tertio die poſteà, cuſtodia Temporalium illius ſedis commiſſa eſt *Guilielmo Ouldhall* Equiti aurato, Camerario *Richardi Ducis* Eboracenſis.

EDMUNDUS OULDHAL.

SUcceſſit eodem anno, *Edmundus Ouldhal*, Carmelita Norwicenſis, frater jam dicti *Guilielmi Ouldhal*. Obiit apud Ardbracan, 9 (alii habent 29) Auguſti 1459, & in eccleſia ibidem ſepultus eſt.

GUILIELMUS SHIRWOOD.

G*Uilielmus Shirwood*, à *Pio* 2 Pontifice proviſus, conſecratus eſt 1460. Dublinii deceſſit 3 Decembris 1482, at ſepultus in eccleſia Sanctorum *Petri* & *Pauli* novæ villæ juxta Trim. ante ſummum altare, cùm ſediſſet annos 22, factus interea ad tempus *Deputatus* (ut loquimur) *Georgii Ducis* Clarentiæ *Locum-tenentis* Hiberniæ, & poſteà Hiberniæ Cancellarius.

JOHANNES PAYN.

J*Ohannes Payn* Dominicanus, S. Theologiæ Doctor, à *Sixto* 4 Pontifice proviſus 17 Martii *Shirwodi* mortem inſequentis, *inthroniſatus* dicitur per clerum Midenſem, in feſto S. *Dominici* (4 nempè Auguſti) 1483. Obiit 6 Martii 1506, & ſepultus eſt (ut *Georgius Coglanus* habet) Dublinii, in cœnobio ſui ordinis.

Veruntamen ſepulchrum marmoreum, æreis laminis olim ornatum, ſibi & ſucceſſoribus ſuis Dublinii in Eccleſia S. *Patricii*, non procul à porta occidentali ſtatuit, id quod rude Epitaphium Latinè, claudicante rhythmo, ibi inſcriptum, etiamnum docet. Sedit annos pluſquàm 23, factus interim (3 Octobris 1496) Rotulorum Cancellariæ Cuſtos. Vir fuit ob eleëmoſynas & menſam hoſpitalem celebratus. De eo vide plura, in Annalibus rerum Hibernicarum, regnante *Henrico* Septimo, à me perſcriptis.

GUILIELMUS ROKEBY.

GVilielmus *Rokebæus*, Juris Canonici Doctor, patriâ Eboracenſis, per Julium 2 Pontificem Epiſcopus renuntiatus eſt Midenſis, 1507, & per eundem Papam Dublinium tranſlatus 28 Januarii 1511, ubi obiit Novembris 29 1521. De quo inter Dublinenſes fuſiùs.

HUGO INGE.

SUcceſſit illi, tam in Eccleſia Midenſi, quàm in Dublinienſi, *Hugo Ingeus*, Anglus, S. Theologiæ Doctor, à Papa deſignatus. Mortem obiit Dublinii, 1528. ex ſudore Anglico. De illo itidem inter Dublinenſes Archiepiſcopos, vide plura.

RICHARDUS WILSON.

RIchardus *Wilſonus* Anglus, à Papa proviſus, ſucceſſit 1523. & ſedit annos circiter 6.

EDWARDUS STAPLE.

EDwardus *Stapleus*, patriâ Lincolnienſis, ſucceſſit, à *Clemente* 7 proviſus 1530. Commendatarius ad tempus Hoſpitalis S. *Bartholomæi* Londini. Sub *Maria* Regina, exauthoratus eſt, Junii 29 1554, morbo brevi poſteà ſublatus, cùm per aliquot ante obitum annos, valetudinarius fuiſſet.

GUILIELMUS WALSH.

GVilielmus *Walſhæus* S. Theologiæ Doctor, patriâ Waterfordienſis, *Stapleo* ſucceſſor deſignatus, Temporalibus reſtitutus eſt 22 Novembris 1554, ſed ſub *Elizabetha* Regina exauthoratus & in carcerem conjectus, poſt aliquot annos in exilium deinde pulſus eſt. Compluti in Hiſpania, obiit pridie Nonas Januarii 1577, & ibidem in templo Collegii ordinis Ciſtertienſis, (cujus ordinis ipſe fuerat monachus) ſepultus.

HUGO

HUGO BRADY.

HUgo Brady, Walshæo ſucceſſor ab *Elizabetha* Regina deſignatus, conſecratus eſt anno 1563. & cùm annos præfuiſſet circiter 20, è vita migravit 13 Februarii 1583, Dunboynæ, ubi natus eſt, & in eccleſia parochiali ibidem jacet ſepultus.

THOMAS JONES.

THomas Jones, patriâ Lancaſtrienſis, Cancellarius primùm deinde Decanus eccleſiæ S. *Patricii* Dublin. conſecratus 12 Maii 1584, Dublinium tranſlatus eſt 8 Novembris 1605. De illo vide plura, inter Archiepiſcopos Dublinienſes.

ROGERUS DOD.

ROgerus Dod, S. Theologiæ Doctor ex Academia Cantabrigienſi, Decanus Salopienſis, conſecratus ſub exitum anni 1605, vel initium inſequentis, obiit apud Ardbracan, 27 Julii 1608. & in eccleſia ibidem ſepultus eſt.

GEORGIUS MOUNTGOMERY.

GEorgius Montgomerius, natione Scotus, S. Theologiæ Doctor, ex illuſtri comitis Eglingtoniæ (Montgomeriorum apud Scotos familiæ principis) ſtirpe oriundus, Decanus Norwicenſis, *Jacobo* Regi à ſacris, anno 1605, Epiſcopatus Derenſem, Raporenſem & Clochorenſem conſecutus eſt. Anno verò 1610, duobus prioribus relictis, Midenſis Epiſcopatus adminiſtrationem ſuſcepit, cui ſimul cum Clochorenſi præfuit, quàm diù vixit. Obiit Londini, Januarii 15 (ſtylo Anglicano) 1620. Corpus in Hiberniam deportatum, in Eccleſia Ardbracanenſi tumulatum eſt.

JACOBUS USSERIUS.

IAcobus Uſſerius, S. Theologiæ Doctor, Dublinienſis, conſecratus Pontanæ in eccleſia S. *Petri*, anno 1621, Armacham tranſlatus eſt Martii 21 1624. De eo vide plura, inter Archiepiſcopos Armachanos.

ANTONIUS MARTIN.

ANtonius Martin, S. Theologiæ Doctor Dublinienſis, Decanus Waterfordienſis, conſecratus eſt Dublinii in eccleſia S.

Patricii, Julii 5 1625, à *Lanceloto* Archiepiſcopo Dublinenſi, *Guilielmo* Archiepiſcopo Tuamenſi & *Guilielmo* Darenſi Epiſcopo. Natus is fuit Galviæ, educatus partim in Gallia, partim Cantabrigiæ, in collegio Emanuelis, in patriam reverſus, in numerum ſociorum cooptatus eſt Collegii S. Trinitatis juxta Dublin. ubi & ego tunc adoleſcens Philoſophiam eum prælegentem audivi, quod gratitudinis ergo libenter memoro. Obiit in dicto Collegio, cujus Præpoſitus fuit, menſe Julio 1650, ex peſte tunc Dublinii graſſante, & in ſacello Collegii ſepultus eſt.

HENRICUS LESLEY.

HEnricus *Leſlæus*, Scotus, S. Theologiæ Doctor, Decanus Dunenſis, & Theſaurarius eccleſiæ S. *Patricii* Dublin. *Carolo* 1 Regi à ſacris, conſecratus epiſcopus Dunenſis & Connorenſis Pontanæ in Eccleſia S. *Petri* 4 Octobris 1635, huc tranſlatus eſt 18 Januarii 1660. Obiit Dublinii, ſenectute gravis, Aprilis 7 1661, & ibidem in eccleſia S. Trinitatis ſepultus eſt, 10 ejuſdem menſis.

HENRICUS JONES.

HEnricus *Jones*, S. Theologiæ Doctor ex Academia Dublinienſi, Decanus Kilmorenſis, Ludovici Jones filius, Laonenſis olim Epiſcopi, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S. Trinitatis, Epiſcopus Clochorenſis, à *Lanceloto* Archiepiſcopo Dublinienſi, *Guilielmo* Darenſi & *Georgio* Clonenſi epiſcopis, 9 Novembris 1645, ad ſedem Midenſem tranſlatus 25 Maii 1661, & brevi poſtea, in numerum illorum allectus, qui Regi ſunt ab arcanis in Hibernia conſiliis.

DE

DE Epiſcopis CLOCHORENSIBUS.

S. MACARTINUS.

ECcleſia cathedralis Clochorenſis, ut perhibet *Jocelinus*, vit. S. *Patricii* cap. 143, à S. *Patricio* primùm fundata eſt, ante Eccleſiæ Armachanæ conſtructionem, &, ſi eidem *Jocelino* credimus, ipſe magnus *Patricius* eam ad tempus rexit, antequàm ei præfeciſſet *Macartinum*, quem mendosè appellat Kertenum. Contrà autem in hujus Eccleſiæ Regeſto, *Macartinus* primus eccleſiæ Clochorenſis Epiſcopus extitiſſe traditur. *Macartinus* hic aliàs *Macarthennus*, filius *Caerthennii*, baptiſmate *Ædus*, ſive *Aidus* dictus, è nobili proſapia Aradenſium ortus, ſed moribus nobilior, S. *Patricii* diſcipulus, & in prædicatione verbi Dei adjutor indefeſſus, primus nominatur Epiſcopus. Sedem is fixit Clochoræ, ubi & cœnobium juſſu S. *Patricii*, conſtruxit *in platea ante regalem ſedem Ergallenſium*. Cloghora (ad Launum fl. ſita) nomen habet à lapide aureo, quo Ethniciſmi temporibus, Dæmon reſponſa præſtigialia, quaſi Apollinis Pythii oracula dare ſolebat, ut è jam dicto Regeſto Clochorenſi intelligimus. Obiit S. *Macartinus* IX Kalend. Aprilis, anno 506, & in Eccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt. Exdicto Regeſto maximam eorum partem mutuati ſumus, quæ de Epiſcopis Clochorenſibus hîc perſcripta ſunt, uſque ad annum 1519, quo *Patricius Culin* Epiſcopatum illum obtinuit.

S. TIGERNACHUS.

SAnctus *Tigernachus* in Regeſto Clochorenſi dictus *Hiberniæ Legatus*, cui *Macartinus* quantùm in ipſo fuit Epiſcopatum cum ſuâ benedictione reliquit, in Cluainenſi eccleſia ſedem poſuit:

indeq; in Annalibus Hibernicis, Episcopus *de Cluainois* vulgò *Clunes*, appellatur. Ecclesia ea *de Cluanois* una est è 4 præcipuis ecclesiis hujus diœcesis, in qua, sicut etiam in ecclesia *de Derimoailain*, celebris est *Tigernaci* memoria. Obiit is Nonis Aprilibus 550, vel 549, ad quem diem in Martyrologio Molani, *Natalis* ejus ita consignatus est, *In Scotia* (majorem intellige, sive Hiberniam) *S. Tigernaci Episcopi & Confessoris*. Canonicis ordinis S. *Augustini* cœnobium is extruxit apud *Cluanois*. Extat in Bibliotheca Collegii S. *Benedicti* Cantabrigiæ Officium ejus, cum Hymno, cujus initium est: *Adest dies celebris Sancti Tigernaci.*

S. SINELLUS.

SAnctus *Sinellus* successisse perhibetur, cujus memoriæ dicata est Ecclesia de *Clariniſlochtain.*

DEODEAGHA.

D*Eodeagha* filius *Cairvilli*, cui consecrata est Ecclesia de *Inisscain*, in Clochorensi diœcesi.

FEIDLEMIDUS.

F*Eidlimidus* successit, sepultus in ecclesia Cluainoisensi, prope *Tigernachum.*

S. ULTANUS.

SUccessit S. *Ultanus*, è *Macartini* familia ortus. Alius hic est, ab *Ultano* S. *Fursei* fratre, de quo *Beda*, lib. 3. Histor. Angl. cap. 19. Tumulatus dicitur Clochoræ, in cœmeterio S. *Macartini*, juxta ejus sepulchrum.

Sethne-
Earch.
Eirglean.
Cedach.
Crimir Rodan.

S. LASERIANUS.

SUccessit S. *Laserianus*, al. *Molaisre*, Abbas cœnobii Devenishensis, quod ipse fundaverat. Situm est illud cœnobium in in stagno *Ern*, ab Hibernis dictum *Daim-Inis*, i. Insula Bovium. Obiit anno 571, aliis 563, Septembris 12, vel ut alii volunt Apr. 18.

Tigerna.
Altigerna.

S. ENNA,

S. ENNA, al. ENDEUS.

IN Regesto Clochorensi, Altigernæ subjicitur S. *Enna* filius *Conaili, cui consecrata fuit Insula Arnanaom*, sive *Ara* Sanctorum. Verùm cùm *Enna* ille floruerit vivente adhuc S. *Patricio*, quomodo potuit esse 15 Episcopus, in hac serie.

RONANUS.

Ronanus, filius *Ædi duib* (aliàs *Hugonis* nigri) Regis *Ergaliæ*, cui consecrata fuit Ecclesia *Achadurchair*.

S. ÆDANUS, al. AIDANUS.

SAnctus *Ædanus*, cui consecrata fuit ecclesia de *Celmor-Ædain*. Hic est ille apud *Bedam* celebratissimus *Aidanus*, qui relicta Hibernia, anno Dom. 635, Britanniam petiit, ubi ab *Oswaldo* Rege honorificè susceptus, Northumbrios ad fidem Christi convertit, & Lindisfarnensis primus factus est Episcopus. Mortem obiit Augusti 31, anno 651, mœrore (ut videtur) confectus, ob interitum *Oswaldi* Regis, qui suorum perfidiâ, ante dies 12, tunc fuerat interemptus.

MÆLCOBA.

Mælcoba al. *Malcaba* floruit anno 640. Frater is fuit *Donaldi*, filius *Ædani*, sive *Hugonis* Regis Hiberniæ. *Malcobæ* huic consecrata est ecclesia de *Druimlais*.

S. ADAMNANUS.

SAnctus *Adamnanus*, in Regesto Clochorensi Hiberniæ Legatus dictus, huic sedi præfuisse dicitur. Nescio an idem sit cum *Adamnano* illo Huensis Monasterii Abbate, cujus *Beda* magna cum laude meminit, lib 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16. Tempora certè satis conveniunt. Huic consecratum dicitur *cœmeterium in capite plateæ civitatis Clochorensis, ex parte aquilonari.*

Dianach.
Altigren.

S. CIARANUS.

POst *Altigrenum*, in Regesto Clochorensi collocatur S. *Ciaranus*, filius Artificis, de *Cluainmacnois*. Verùm ex ipsius vitâ, & Annalibus Hibernicis, certò constat eum ad longè an-

teriora tempora esse referendum. Mortem enim obiit 9 Septembris 549, (anno nempe proximo ante S. *Tigernachi* obitum) ætatis suæ 33. cùm unico duntaxat anno *Clonmacnoisæ* præfuisset.

Conallus.

Airmeadachus, qui vitam dicitur scripsisse S. *Patricii.*

Feldobar obiit 29 Junii 731.

Cunnachi.

Mælmochair.

Synach.

Artgail filius *Darini.*

Cairbre.

Mælduinus.

Dermitius.

Conaidus.

Moraindus.

Dubroith.

Ailil, in Annalibus Ultonienſibus dictus *Scriba, Episcopus & Abbas Clothorensis* obiit 898.

Cairbre 2.

Engus.

Cændfælad, aliàs *Cenfailus* filius *Lorcani* dictus *Comorbanus* Cluain-eoſensis & Clothorensis obiit anno 929. In Martyrologio Kilenensi, ad 7 Id. April. notatur memoria S. *Cendfeolad Confessoris.*

Conaidus alius.

Tomultachus.

Cellachus.

Murigachus.

Odo O-Buigil.

Mac-mail-iosa O-Cuilean.

CHRISTIANUS O-MORGAIR.

Successit illi *Christianus O-Morgairus*, frater unicus S. *Malachiæ* Armachani. Eum D. *Bernardus*, in vita ejusdem *Malachiæ, virum bonum* appellat, *plenum gratiæ & virtutis, germano quidem suo secundum in celebri opinione, sed vitæ sanctimoniâ & justitiæ zelo fortè non imparem.* In Regesto Clothorensi annotatum reperi fratrem ejus *Malachiam ab Innocentio 2 impetrâsse quartam Episcopalem, per totam Ergalliam, dari Episcopis Clothorensibus.* Decessit anno 1139, aliis 1138, 12 Junii, vivente adhuc fratre *Malachiâ*, & Armachæ, in cœnobio Sanctorum *Petri* & *Pauli* sepultus est.

EDANUS

EDANUS O-KELLEY.

DEfuncto Christiano, *Edanus* sive *Odo O-Kelley* à S. *Malachia* tunc Dunensi Episcopo (cujus discipulus fuerat) ad hanc sedem electus est & consecratus. Anno deinde 1148, *Donatus O-Carol*, vel *mac-Carwil* Rex *Ergalliæ* & hic noster *Edanus* Canonicis Regularibus novum fundârunt cœnobium Louthæ, in quo ipse *Edanus* sepultus est anno 1182, aliis 1180. cùm sedi Clochorensi, cum annexa Louthensi, præfuisset annos circiter 42. Is porrò cœnobium de *Knock* juxta Loutham, aliàs dictum de *Monte* Apostolorum *Petri* & *Pauli*, quod idem Donatus construxerat, prædiis ditavit, quæ sibi contulerat Donatus, ut è Regesto Clochorensi intelligimus. Locus olim appellabatur *Knock-na-seagan*, i. Collis formicarum. *Edanus* hic Confessarius fuit *Dermitii* Regis *Lageniæ*. Hunc *Philippus Seguinus*, eúmque sequutus *Christophorus Henriques* mendosè factum asserunt Archiepiscopum Armachanum.

MÆLISA O-CARROL.

MÆliſa, aliàs *Malachias O-Carrol* successit, & Archiepiscopus Armachanus designatus, in itinere Romam versus obiit anno 1184.

CHRISTIANUS O-MACTURAN.

CHristianus (al. *Gilla-christ*) *O-Macturan*, Abbas cœnobii de *Cluain-eois*, cùm præfuisset Ecclesiæ Clochorensi annos 7, decessit.

MÆLISA.

MÆliſa filius Episcopi *Mac-Mail-Ciaran*, Abbas cœnobii Mellifontis successit, & præfuit annos 4. *Ecclesiam omnium Sanctorum extra Dublinium*, *Johanni Comino* Archiepiscopo Dublinensi & successoribus ejus, per scriptum suum, is remisit & renuntiavit, eâ duntaxat, sibi quoad viveret reservatâ, remedâ de dicto Archiepiscopo & de ecclesia S. Trinitatis, ut è Regesto Archiepiscopi Dublinensis, quod *Crede mihi* vocant, liquet.

TIGERNACUS.

TIgernacus filius *Gilla-Ronani*, Canonicus Augustinianus successor ejus obiit 1218, & in cœnobio B. *Mariæ Lovidiæ*, sive Louthæ, prope *Edanum O Kelley* prædecessorem sepultus est.

DONATUS O FIDABRA.

DEfuncto *Tigernacho* ſucceſſit *Donatus O-Fidabra*, & cùm 9 annos hîc ſedisſet, deſignatus Archiepiſcopus Armachanus confirmationem obtinuit Regiam Septembris 20 1227. De quo vide plura inter Armachanos.

NEHEMIAS O-BROGAN.

Nehemias O-Brogan, qui ſucceſſit, obiit (ut conjicio) 1240. Nam Februarii inſequentis 8, *Henricus* 3 Rex Angliæ per literas mandavit *Mauritio* filio *Geraldi* Hiberniæ Juſtitiario, ut Epiſcopatum Clochorenſem Archiepiſcopali ſedi Armachanæ *propter utriuſq; paupertatem* conjungendum curatet, & ut *A.* (Alberto) *Archiepiſcopo Armachano plenam ſeiſinam habere faceret, de omnibus terris*, &c. *ad Epiſcopatum Clochorenſem pertinentibus.* Hæc ex Archivis Regiis in turri Londinenſi aſſervatis. Verùm quanquàm intentio duas illas ſedes uniendi eo tempore ſucceſſu careret, poſt paucos tamen annos, Diœceſis hæc Clochorenſis arctioribus circumſcripta eſt finibus, ut in proximo ſucceſſore patebit.

DAVID O-BROGAN.

David O-Brogan, *Nehemiæ* frater ſucceſſit. Hic circa juriſdictionem & poſſeſſiones eccleſiæ ſuæ multùm deſudavit. Cæterùm per potentiam *Germani O-Cerbalan* epiſcopi Derenſis & nationis ſuæ de *Keneleogain*, eccleſiam de *Ardſratha*, cum plurimis aliis eccleſiis de *Ofeachra*, per *Reinerii* etiam & *Patricii* Armachanorum Præſulum potentiam, Eccleſiam Ludunenſem ſive Louthenſem, cum tribus Decanatibus, de Drogheda, Atrio Dei & Dundalka, amiſit. Nam licèt duæ illæ ſedes (Ludunenſis & Clochorenſis) originitùs fuerint diſtinctæ, tandem tamen coaluerunt & unitæ manſerunt, uſque ad tempus hujus *Davidis*. De hac re, extat jam dicti *Davidis* Actio, data Peruſii, Id. Auguſti 1252, contrà *Reinerum* Archiepiſcopum Armachanum, licèt irrito ſucceſſu. Demùm poſt longas his de rebus contentiones, fruſtrà ſuſceptas, ſuccubuit, & paralyſi oppreſſus naturæ debitum perſolvit anno 1267, & in monaſterio Melliſontis, cujus monachus aliquando fuerat, ſepultus eſt.

MICHAEL.

MICHAEL.

POst *Davidis* obitum, *Reginaldus Mac-Gilla-finin* Archidiaconus Clochorensis, à Capitulo Clochorensi electus est Episcopus. Atqui cassatâ ea electione, per *Patricium O-Scanlain* Armachanum Archiepiscopum, substitutus est *Michael Mac-Antsair* Officialis Armachanus, consecratus Septembris 9 1268. Præfuit is annos 17, vel, ut alii volunt, 19, & Clochoræ, in cœnobio Canonicorum B. Mariæ sepultus est. Permutaverat is cum conventu eo *Curiam*, prope cœnobium, in qua prædecessores ejus residere solebant, pro loco extra urbem dicto *Disert-na-cusiac*, ubi novas ædes episcopales sibi & successoribus extruxit.

MATTHÆUS mac-CATASAID.

M*Atthæus mac-Catasaid*, Cancellarius Armachanus, dum in curia Romana, Armachanæ Ecclesiæ negotia procuraret, à Decano & Capitulo Cloghorensi unanimiter Episcopus electus est. In patriam reversus, à *Nicolao* Archiepiscopo Armachano confirmatus, ejúsque assensu & mandato, à *Tigernacho* Dromorensi, Florentio Rapotensi & *Mauritio* suffraganeo Cenanensi Episcopis, in monasterio S. Mariæ de Lisgool, aliàs Lisgabail, consecratus est, die Dominico, in festo Apostolorum *Petri* & *Pauli* 1287. Extant *Matthei* hujus Constitutiones, an. 1298 & 1301 editæ. Ædes Episcopales is construxit, tam apud *Rossoirtir*, quàm in insula S. Macartini apud *Mucnumha*. Cloghoræ porrò Capellam condidit, ad sepulchrum ejusdem Macartini, Cœmeterium muro circumdedit, & Ecclesiam suam Cathedralem de novo ædificavit, cui duas porrò campanas contulit, necnon calicem, pixidem & crucem argenteam deauratam, præter mitram, casulam & alia vestimenta. Anno deinde 1308, (8 Idus Septembris) ossa B. Constantis de *Eonois* & B. Ferguimithi Episcopi *de Cutmain*, in thecas transtulisse dicitur. In Hugonis Kirkstedi monachi Cistertiensis catalogo, de illustribus Monachis, notatur memoria *Constantis monachi & Abbatis Hiberniæ*. Fuit is Abbas de *Inis-eo* sive *Eonois*, in Lacu Ernensi. Obiit 14 Novembris 777. Præfuit *Matthæus* hic annos circiter 28. Decessit 1316, & in Ecclesia sua sepultus est.

GELASIUS O-BANAN.

G*Elasius O-Banan*, *Comorbanus S. Tigernaci de Cluain-eois* sedit annos 3. Obiit anno 1319.

NICOLAUS mac-CATASAID.

NIcolaus *mac-Cataſaid*, Archidiaconus Clochorenſis ſucceſſor electus in cœnobio Sanctorum *Petri* & *Pauli* de *Cluaineois*, in vigilia S. Matthiæ Apoſtoli 1319, conſecratus eſt anno inſequenti, in cœnobio Canonicorum de Liſgabail, per Michaelem Derenſem, Thomam Rapotenſem & Patricium Triburnenſem Epiſcopos. Obiit in autumno 1356, cùm hîc loci ſediſſet annos 36, & in eccleſia ſua ſepultus eſt.

BERNARDUS mac-CAMÆIL.

BErnardus, aliàs *Brienus mac-Camæil*, Archidiaconus Clochorenſis, *Richardi* filii *Radulphi* Archiepiſcopi Armachani operâ, ab *Innocentio* 6 Pontifice proviſus eſt. Mortem obiit Clochoræ, ex peſte, quâ univerſa Hibernia, & ſpeciatim Urbs Clochorenſis miſerè fuit afflicta, illâ nimirùm (ni fallor) quam anno contigiſſe 1361, noſtri docent Annales. Sunt tamen qui tradant eum mortem obiiſſe anno 1358.

MATTHÆUS mac-CATASAID.

MAtthæus *mac-Cataſaid*, Archidiaconus itidem Clochorenſis, prioris *Matthæi mac-Cataſaid* è fratre nepos, à Decano & Capitulo Clochorenſi legitimè electus, à Milone Archiepiſcopo Armachano, *Richardo* Dunenſi & *Audoeno* Ardachadenſi Epiſcopis conſecratus eſt, in eccleſia parochiali de *Drumineaſglan*. Præfuit exiguo tempore.

ODO O-NEAL.

ODo *O-Neal*, Cancellarius Armachanus, & 6 Kalend. Auguſti obiit 1370.

O-CORCROIN.

O-*Corcroin* quidam, monachus Ciſtertienſis & Decretorum Doctor à Papa proviſus ſucceſſit.

ARTHURUS mac-CAMÆIL.

ARthurus *mac-Camæil*, Archidiaconus Clochorenſis, vir gravis & eruditus conſecratus eſt 1389. Hujus tempore, Aprilis nempe 28 1395, dum capellam S. Maccartini de novo erigi curaret, Eccleſia ipſa cathedralis Clochorenſis, & duæ capellæ

pellæ, & Monaſterium B. *Mariæ*, necnon Curia Epiſcopi, unà cum 32 aliis ædificiis, &c. incendio conflagrârunt. Ad Eccleſiæ & Curiæ ſuæ ſtructuram & reparationem, *Arthurus* hic omni ſtudio poſteà incubuit. Extant Ordinationes ejus, anno 1395 & 1430 editæ. E vivis exceſſit die S. *Laurentii* 1432, cùm hanc Eccleſiam rexiſſet annos circiter 43.

PETRUS MAGUIRE.

PEtrus *Maguirius*, Archidiaconus itidem Clochorenſis tam à Capitulo poſtulatus, quàm à Pontifice proviſus, ſucceſſit, & obiit 1450, cùm paulò ante obitum (ut videtur) reſignâſſet.

ROGERUS MAGUIRE.

ROgerus aliàs *Roſs Maguirius*, filius *Thomæ* junioris Dynaſtæ Fermanachenſis, à Papa proviſus, conſecratus eſt Pontanæ, à *Johanne Mey* Archiepiſcopo Armachano, anno 1449. Sedit annos circiter 34. Obiit 1483, & in eccleſia S. *Ronani* de *Achadurchar* ſepultus eſt.

EDMUNDUS CURCÆUS.

EDmundus *Curcæus*, ſive *Courcy*, ordinis Minorum, nobili ortus familiâ Curcæorum Momoniæ, S. Theologiæ Profeſſor, conſecratus eſt Epiſcopus Clochorenſis anno 1485. *Henrico* Septimo ob perſpectam fidem poſteà percharus. Anglicæ gentis is ptimus fuit qui ſedem hanc obtinuit, ubi cùm 9 annos ſediſſet, ab *Alexandro* 6, 6 Calend. Octobris 1494, Roſſam tranſlatus eſt.

NEHEMIAS CLONIN.

NEhemias *Cloniu*, ordinis S. *Benedicti*, vel ut alii habent, ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, ab *Alexandro* 6 Papa, proviſus eſt Epiſcopus Clochorenſis 24 Januarii 1502, per tranſlationem *Edmundi Curcæi*. Is anno ſequenti, 29 die Auguſti, ad inſtantiam *Patricii O-Conally*, (qui ſucceſſit) reſignavit epiſcopatui, reſervatâ penſiunculâ 18 ducatorum, de camera ſibi annuatim pendenda.

PATRICIUS O-CONALLY.

PAtricius *O-Connally*, Abbas cœnobii ſanctorum *Petri* & *Pauli* de *Cluanoies*, à Julio 2 Pontifice, proviſus 7 Martii 1504, à Roma in Hiberniam eodem anno reverſus, *relictis ſuis literis in Banca*, paucis poſt reditum diebus, ex peſte obiit.

EUGENIUS MAC-CAMÆIL.

EUgenius *mac-Camæil*, Decanus Clochorenſis, à Julio 2 itidem proviſus, 4 nempe Aprilis 1505, conſecratus eſt ab *Octaviano* Archiepiſcopo Armachano, *Thoma* Kilmorenſi & Tiberio Dunenſi & Connorenſi Epiſcopis, anno 1508. Deceſſit 1515.

PATRICIUS CULIN.

PAtricius *Culin*, ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* ſucceſſit, electus 1519. Hujus & *Roderici* Caſſidæi Archidiaconi Clochorenſis curâ, Regeſtum Clochorenſe concinnatum eſt, unde maximam partem deſumpſimus eorum quæ de Prædeceſſoribus ejus dicta ſunt. Mortem obiit ſub initium veris, anno 1534.

HUGO O-CERVALLAN.

HUgo aliàs *Odo O-Cervallan*, à *Paulo* 3 proviſus, à Rege *Henrico* 8, præſtito pro more homagio, confirmatus eſt 1542. Extant Conſtitutiones Eccleſiaſticæ ab eo editæ 26 Octobris 1557. Quam diù ſederit nondum reperi.

MILERUS MAGRAGH.

MIlerus *Magragh*, *Franciſcanus*, à *Pio* 5. Pontifice Dunenſis renuntiatus Epiſcopus, Proteſtantium poſteà doctrinam profeſſus *Elizabethæ* Reginæ conceſſione, in hac ſede collocatus eſt 18 Septembris 1570, atq; hinc 3 inſequentis Februarii, ad Archiepiſcopatum Caſſelienſem tranſlatus, in quo grandævus deceſſit. De eo plura inter Caſſelienſes.

GEORGIUS MOUNTGOMERY.

VAcavit ſedes Clochorenſis annos plurimos. Anno verò 1605, *Georgius Mountgomery*, Scotus, S. Theologiæ Doctor, *Jacobi* Regis gratiâ, hunc Epiſcopatum, ſimul cum Derenſi & Rapotenſi obtinuit. Anno deinde 1610, duobus poſterioribus relictis

relictis, Midenſis etiam Epiſcopatus adminiſtrationem ſuſcepit. Eo ſedente, *Jacobus* Rex cœnobium Clochorenſe cum prædiis ejuſdem, ſedi huic Epiſcopali, inter alia quamplurima dona contulit, quâ munificentiâ, hic Epiſcopxtus inter opulentiſſimos totius Hiberniæ hodiè cenſetur. De eo, inter Midenſes plura.

JACOBUS SPOTTISWOOD.

Jacobus Spottiſwood, Scotus itidem, & S. *Theologiæ* Doctor, frater *Johannis Spottiſwood* Archiepiſcopi S. *Andreæ* in Scotia, conſecratus Pontanæ, 1621, obiit Weſtmonaſterii, ſub medium Martii 1644.

HENRICUS JONES.

Henricus Jones, S. Theologiæ Doctor Dublinienſis, conſecratus epiſcopus Clochorenſis 9 Novembris 1645, ad ſedem Midenſem tranſlatus eſt 25 Maii 1661.

JOHANNES LESLEY.

Johannes Leſley, Scotus, S. Theologiæ Doctor, Epiſcopus Inſularum, Raphoam tranſlatus eſt Junii 1 1633, eodemque anno *Carolo* Regi conſtitutus eſt ab arcanis in Hibernia conſiliis, in hac tandem eccleſia conſedit, menſe Junio 1661.

DE Epiſcopis DUNENSIBUS.

S. CAILANUS.

DUnum (ſicut aliàs notavi) antiquitùs *Aras-Cealtair* dictum, nomen habet à collino ſitu, Dunum enim priſcis Gallis, Britannis & Saxonibus collem vel ſitum acclivem denotabat. Atque hinc Lugdunum & Juliodunum in Gallia, Dunelmum, Camalodunum, Sorbiodunum & ſimilia in Anglia manârunt: neq; aliam habebat ſignificationem apud Hibernos. Nam hæc ſedes in Regeſto cenſuum Cameralium Centii Camerarii appellatur *Dun-da-leghlas*, quam vocem Hiberni interpretantur *Collem binorum mediorum catenæ*. Et *Jocelinus* cap. 38, *à catenis confractis* Dunum nomen ſortitum fuiſſe aſſerit. Sic porrò à collino ſitu in Hibernia nomina deducunt *Dun-amaus*, *Dun-keran*, *Dun-gannon* & *Dungarvan*. Exempla alia ſatis obvia ſunt: ſed in re tam nota hæc ſufficiant. Primus hujus ſedis Epiſcopus perhibetur S. *Cailanus*, S. *Macniſii* Epiſcopi Connorenſis æqualis, ſed in Epiſcopatu poſterior, ex Nendrumenſi Abbate factus Dunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub exitum ſeculi poſt Chriſtum natum quinti.

S. FERGUSIUS.

SAnctus *Ferguſius* filius *Æanguſii*, regio Hibernorum ſanguine natus, utpote qui originem duxit à *Coelbadio* rege Hiberniæ defuncto anno 357. Abbas fuit primùm (uti fertur) cœnobii de *Kill-bian* quod ipſe fundaverat, factus poſteà Epiſcopus Dunenſis in illius ſedis regimine deceſſit 30 Martii 583. Ad quem annum, ita Annales Ultonienſes, *Quies Ferguſii epiſcopi Dromaleghlas, qui fundavit Cill bian.*

Ad

Ad ſucceſſores ejus quod attinet, non reperi (fateor) Epiſcopi cujuſpiam Dunenſis mentionem per multas poſteà annorum centurias, niſi unius, dicti Flaghertachi, quem Annales Prioratus Inſulæ omnium Sanctorum obiiſſe perhibent anno 1043. Et credibile videtur fermè toto eo tempore hanc ſedem proprio caruiſſe Antiſtite, & Diœceſi Epiſcopi Connorenſis fuiſſe incluſam.

MALACHIAS O-MORGAIR.

DE S. *Malachia* ſuprà diximus inter Archiepiſcopos Armachanos, è vita ejus à S. *Bernardo* deſcripta. Satis erit hic annotare eum ex Abbate cœnobii Banchorenſis quod ipſe reſtauraverat, factum fuiſſe Epiſcopum Connorenſem, 30 fermè ætatis ſuæ anno, & octennio poſteà Armachanum Archiepiſcopum, ſed intra triennium Archiepiſcopatu Gelaſio ſucceſſori reſignato, *ad ſuam* (inquit *Bernardus*) *paræciam rediit, non tamen Connereth, & audi cauſam dignam relatu. Diœceſis illa duas fertur habuiſſe antiquitùs Epiſcopales ſedes & duos extitiſſe Epiſcopatus. Id viſum melius Malachiæ: itaq; quos ambitio conflavit in unum, Malachias revocavit in duos, partem alteri Epiſcopo cedens, partem retinens ſibi, & propterea non venit Connereth, quòd in ea jam Epiſcopum ordinâſſet, ſed Dunum ſe contulit, diſterminans paræcias, ſicut in diebus antiquis.* Hæc anno 1137, vel (ut alii volunt) 1136. Deceſſit 2 Novembris 1148, in Monaſterio Clarevallenſi, in itinere ſuo Romam verſus. De eo vide plura, inter Archiepiſcopos Armachanos.

MALACHIAS 2.

SUcceſſit illi *Malachias*, aliàs Mæliſa *Mac-Inclericuir*, vir doctus, qui obiit admodùm ſenex anno 1175. Interfuit is Synodo à Cardinale Paparone Pontificis in Hibernia Legato, Kenanuſæ celebratæ, anno 1152.

GELASIUS.

GElaſius (al. *Gilladomnai* filius *Cormaci*) eodem anno ſacratus, ante annum circumactum, è vita migravit.

MALACHIAS 3.

MAlachias alius ſucceſſit, qui in prælio captus anno 1177, quo fuſus eſt Rodericus Ulidiæ Regulus, à *Johanne Curcæo*, ſed Viviani Cardinalis rogatu, libertati ac priſtinæ dignitati mox reſtitutus eſt. Eo ſedente, *Johannes* ille *Curcæus*,

Ulidiâ expugnatâ, Canonicorum ſecularium loco, Monachos Benedictinos, è cœnobio S. *Werburgæ* virginis Ceſtriæ, in eccleſia cathedrali Dunenſi collocavit, quibus ex eorum ſodalitio Priorem præfecit *Gulielmum de Etleſhale*, anno 1183. Et ſub eodem tempore, ejuſdem *Cureæi* ſuaſu, Eccleſia ea cathedralis, quanquàm anteà S. Trinitatis nomini conſecrata, in S. *Patricii* honorem dicata eſt. Non paucos autem credidiſſe Iliadem malorum *Curcæum* inde ſibi poſteà attraxiſſe, author eſt *Chriſtophorus Pembrigius* in Annalibus ſuis. Utcúnque, maximam olim claritatem loco proculdubiò conciliavit S. *Patricii* ſepultura, cui etiam corpora SS. *Columbæ* & *Brigidæ* poſteà tranſlata fuerunt. Hujus cœnobii Priori & monachis *Malachias* multa contulit prædia, reſervato ſibi *Cuſtodis & Abbatis* titulo, *ſicut ſit* (uti verba ſunt chartæ) *in eccleſia Wintonienſi, vel Coventrenſi, retentâ etiam ad honorem & reverentiam Epiſcopatus ſui, medietate oblationum, in his 5 feſtis anni, & non amplius, ſcil. in Natali Domini, in Purificatione S. Mariæ, in feſto S. Patricii, in Paſcha & Penteceſte.* Deceſſit circa annum Dom. 1201.

RADULPHUS.

Radulphus, Abbas primùm Kinloſſenſis, deinde anno 1194, Melroſſenſis in Scotia, adjuvante tandem *Johanne de Salerno*, Presbytero Cardinale tit. S. *Stephani* in monte *Celio*, *Innocentii* 3 Legato, ad hunc Præſulatum electus eſt anno 1202. Præfuit annos plùs minùs 11.

THOMAS.

Thomas quidam ſucceſſit, cui & ſucceſſoribus *Hugo de Lacy* comes Ultoniæ prædia multa contulit in *Arte & Oveh*, vel ſicut hodiè nuncupantur, in territoriis (nam ita intelligo) de Ardes & Iveagh. Præfuit uſque ad annum Dom. 1237. ſed quàm diù poſteà, nondum reperi. De eo vide plura, apud *Matthæum Pariſienſem*, in vita *Gulielmi* 22 Abbatis S. Albani.

RANULPHUS.

Ranulphus quidam, ſucceſſor ejus obiit 1253. Tumque ſedes per aliquot annos vacavit.

REGI-

REGINALDUS.

DEfuncto *Ranulpho*, Monachi Eccleſiæ cathedralis S. *Patricii* Dunenſis Thomam Lidellum ſuffragiis ſuis deſignant Epiſcopum, anno 1258. Sed hanc electionem *Henricus* 3 rejecit, & Epiſcopatum contulit *Reginaldo* Archidiacono Dunenſi, qui cùm annos hîc præfuiſſet 7, ad Epiſcopatum Clonenſem in Momonia tranſlatus eſt 1265, ubi obiit 1273.

THOMAS LIDELLUS.

TRanſlato (uti diximus) *Reginaldo*, Monachi Dunenſes denuò elegerunt ſibi in Epiſcopum, Thomam Lidellum, qui à Papa confirmatus aſſenſum Regium obtinuit & temporalibus reſtitutus eſt 5 Novembris 1266. Præfuit huic ſedi annos circiter 10. Dedit is Eccleſiæ S. *Pauli* Londini 40 dies Indulgentiarum, anno 1270.

NICOLAUS.

POſt Lidelli obitum, Monachi Dunenſes impetratâ priùs licentiâ regiâ 20 Februarii 1276, Epiſcopum deſignant *Nicolaum* quendam, Ultoniæ Theſaurarium, & Priorem (ni fallor) eccleſiæ cathedralis Dunenſis. Præfuit is annos plùs minùs 28. Obiit 1304.

THOMAS KITTEL.

MArtii inſequentis 28, licentia eligendi à Rege *Edw.* I. conceſſa eſt Priori & conventui S. *Patricii* Duni. Hi *Thomam Kittellum* eligunt. Temporalibus is reſtitutus eſt Julii 1 1305. Præfuit huic ſedi annos 8. Deceſſit 1313.

THOMAS BRIGHT.

THomas *Bright*, Prior eccleſiæ Patricianæ Duni, à Monachis Dunenſibus licentiâ regiâ impetratâ, Epiſcopus electus, à *Rolando* Archiepiſcopo Armachano conſecratus eſt 1314. Obiit 1327, & in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

RADULPHUS de KILMESSAN.

Johannes de Baliconingham, Rector eccleſiæ Ardwhinenſis, à Priore & Capitulo legitimè electus, & aſſenſu Regio confirmatus 1328, poſtquàm fructus Epiſcopales, aliquantiſper ac-

cepisset, à *Johanne* 22 Papa, cassatâ eâ electione, ad Episcopatum Corcagiensem, promotus est, Et *Radulphus de Kilmessan* Minorita, ejusdem Pontificis mandato, à *Bertrano* Cardinale Episcopo Tusculano consecratus, Temporalium restitutionem accepit 1 Aprilis 1329. Præfuit annos 24. & anno demùm decessit 1353, mense Augusto. Eo sedente, *Edwardus* 3 Rex confirmavit Ecclesiæ Dunensi, omnes possessiones ad sedem pertinentes, Augusti 24 1342.

RICHARDUS CALF.

SUccessit illi sub finem ejusdem anni, *Richardus Calf*, Prior ecclesiæ cathedralis Dunensis, ab *Innocentio* sexto Pontifice provisus, ac in ecclesia sua sepultus est 26 Octobris 1365.

GUILIELMUS.

DEfuncto *Richardo*, *Robertus de Aketon* ordinis Eremitarum S. *Augustini*, (is qui anno insequenti episcopus evasit Darensis) à Priore & Monachis ecclesiæ Dunensis postulatus est Episcopus, 18 Novembris 1365. Atqui *Urbanus* 5, rejectâ eâ electione, Præsulatum contulit fratri *Guilielmo*, (cujus ordinis nescio) qui præfuit annos vix 3. Obiit 1368, mense Augusto.

JOHANNES LOGAN.

Johannes Loganus, Archidiaconus Dunensis successit, à Papa provisus, sed morte sublatus, cùm Episcopatum vix degustâsset.

RICHARDUS CALF.

Richardus Calf, secundus ejusdem nominis, Prior ecclesiæ cathedralis Dunensis successit, & obiit 16 Maii 1386, cùm sedisset annos 17, in ecclesia suâ humatus.

JOHANNES ROSS.

Johannes Rossus, qui etiam Prior fuerat ejusdem ecclesiæ à Papa provisus successit, & homagio pro more præstito, temporalibus restitutus est 14 Martii 1387. Mortem obiit 1394.

JOHANNES

JOHANNES DONGAN.

Iohannes Donganus, monachus Benedictinus, Episcopus Derensis, à *Bonifacio* 9 Dunum translatus, homagio pro more præstito, Temporalium accepit restitutionem 26 Julii 1395. Is anno 1401 constitutus est ab *Henrico* 4 Rege, *Libertatis* suæ Ultoniæ *Senescallus*. Obiit 1412.

JOHANNES CELY.

Iohannes Cely, al. *Sely*, ejusdem ordinis Monachus consecratus est 1413, & anno 1441 ob crimina nescio quæ, exauthoratus.

P EP.

Episcopi DUNENSES ET Connorenſes.

JOHANNES.

Iohannes Epiſcopus Connorenſis, ab *Eugenio* 4 proviſus ſucceſſit, & ab eodem *Eugenio*, realem obtinuit unionem utriúſque Epiſcopatus, Dunenſis ſc. & Connorenſis, anno proximè ſequenti. Hanc unionem approbaverat *Henricus* VI. Rex Angliæ, diplomate ſuo, ut ex Archivis turris Londinenſis, an. regni ſui 16 liquet. Magnum tamen poſteà habuit certamen cum quodam *Thoma Pollardo* de jure Epiſcopatus Dunenſis, utróque pro Epiſcopo ſe gerente: Sed in hac cauſa ſuccubuit *Pollardus* an. 1449. Obiit *Johannes* ſub initium anni 1451.

ROBERTUS ROCHFORD.

Robertus Rochford, aliàs *de Rupe forti*, ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Profeſſor, in Epiſcopum electus eſt eodem anno, & à *Johanne Meyo* Archiepiſcopo Armachano, per literas *Nicolao* 5 Pontifici enixè commendatus. Sed an conſecratus fuerit, necne, non comperi.

THOMAS.

Thomas quidam, epiſcopus conſecratus Dunenſis & Connorenſis, à *Johanne Meyo* Archiepiſcopo Armachano, confirmatus

tus est ultimo Maii 1456. Obiit circa annum 1468. Priorem quendam cœnobii S. *Catharinæ* Waterfordiæ, circa hæc tempora à Pontifice, provisum fuisse Episcopum Dunensem & Connorensem ex Archivis ecclesiæ Armachanæ constat, unde non possum non suspicari Thomam & istum unum eundémque fuisse hominem.

THADDÆUS.

THaddæus quidam, à *Paulo* 2 Pontifice provisus, consecratus est Romæ, in Ecclesia S. *Mariæ* supra Minervam, 10 Septembris 1469. In patriam deinde reversus, obedientiæ professionem *Johanni Boleo* Archiepiscopo Armachano præstitit, in mannerio de Termon-Feichan, Novembris 29 1470. Obiit 1486.

TIBERIUS.

SUccessit illi *Tiberius* quidam. Ecclesiam suam cathedralem hic multùm ornavit. Sedes hæc vacavit 19 Junii 1526, fortè illius morte. Quis ei proximè successerit non comperi.

EUGENIUS MAGENIS.

EVgenius *Magenis*, à *Paulo* 3 provisus, post submissionem & agnitam Regi *Henrico* 8 fidelitatem, Temporalibus restitutus est 24 Octobris 1541. Eo sedente, suppressus est Prioratus S. *Patricii* Dunensis, & Monachi inde ejecti. Interfuit Parlamento Dublinii inchoato 12 Januarii 1559, anno 2 *Elizabethæ*. Sed quando objerit, nondum comperi.

JOHANNES MERRIMAN.

IOhannes *Merriman*, Anglus, *Elizabethæ* Reginæ à sacris, Dublinii consecratus est in Ecclesia S. *Patricii* 19 Januarii 1568. vel, (si initium anni deducas à *Calendis* Januarii) 1569, à *Thoma Lancastero* Archiepiscopo Armachano, *Bradæo* Midensi, *Daleo* Darensi, & *Gafnæo* Ossoriensi Episcopis. Decessit 1572.

HUGO ALLEN.

HVgo *Allenus*, consecratus 1573, ad Episcopatum Fernensem translatus est Maii 24 1582. Vacavit deinde sedes annos 9.

EDWARDUS EDGEWORTH.

Edwardus Edgeworthus, Anglus, S. Theologiæ Profeſſor, in Academia Cantabrigienſi educatus, Præbendarius de Tipperkevin in diœceſi Dublinienſi, conſecratus 1592, obiit Dublinii 1595, & ibidem in eccleſia S. *Michani*, cujus Præbendarius etiam fuerat, ſepultus eſt.

JOHANNES CHARDEN.

Johannes Chardenus, S. Theologiæ Doctor, conſecratus eſt Dublinii, in Eccleſia S. *Patricii*, menſe Maio 1596, ab *Henrico* Archiepiſcopo Armachano, *Thoma* Midenſi & *Richardo* Leghlinenſi Epiſcopis. Deceſsit anno 1601.

ROBERTUS HUMPSTON.

Robertus Humpſtonus, Artium Magiſter, conſecratus 1602, poſt quadriennium obiit apud Kilrout, prope *Knock-Fergus*.

JONANNES TOD.

Johannes Tod, Theologiæ Doctor, Decanus Caſſelienſis, aliquando Jeſuita, ſucceſſit, annoq; 1611, ob crimina in jus vocatus, reſignavit, & non diù poſteà, in carcere obiit *Londini*, ex veneno quod ſibi præparaverat.

JACOBUS DUNDAS.

Jacobus Dundas, S. Theologiæ Profeſſor, Præcentor Moraviensis in Scotia, conſecratus ſub finem Julii 1612, brevi poſteà obiit Newtonæ in agro Dunenſi.

ROBERTUS ECHLIN.

Robertus Echlinus, Scotus, ſucceſſit 1613, & Julii 17 1635, è vita migravit, apud Ardquin in comitatu Dunenſi.

HENRICUS LESLEY.

Henricus Leſlæus, Scotus itidem, S. Theologiæ Doctor, Decanus Dunenſis, *Carolo* Primo regi à ſacris, conſecratus Pontanæ in eccleſia S. *Petri*, 4 Octobris 1635, ad Epiſcopatum Midenſem tranſlatus eſt Januarii 18 (ſtylo Anglicano) 1660.

JEREMIAS

JEREMIAS TAYLOR.

JEremias *Taylor*, S. Theologiæ Doctor, Cantabrigiæ natus & educatus, ibidem in numerum Sociorum Collegii Gonevilli & Caii cooptatus est. Biennio pòst, Londinum profectus, dum ibidem Prælectoris Theologici munus solertèr obiret in Ecclesia S. *Pauli*, ob conciones eruditas, in notitiam pervenit *Guilielmi Laudi* Archiepiscopi Cantuariensis, cujus operâ, Oxonium missus, factus est ibidem Socius Collegii omnium Animarum, & ab Archiepiscopo in Sacellanum ascitus, quemadmodum & posteà ab ipso Rege *Carolo* 1, cui constanter, etiam in adversis, adhæsit. Inclyto verò illo Rege horrendo paricidio sublato, multa passus est à novatoribus, tam in Anglia, quàm in Hibernia. Demum verò, à *Carolo* 2, Regnis suis feliciter reddito, Episcopus renuntiatus est Dunensis & Connorensis, consecratus Dublinii 27 Januarii (stylo Anglicano) 1660, paulò antè, Consiliariis regiis annumeratus. Anno deinde sequenti, Dromorensis etiam Episcopatus administrationem, Junii 21, Regis concessione, suscepit.

DE Episcopis CONNORENSIBUS,

Usque ad annum 1442,

Quo Episcopatus Dunensis & Connorensis uniti fuerunt.

ÆNGUS MACNISIUS.

Ængus Macnisius primus fuit hujus ecclesiæ Episcopus & fundator. Is cognomentum à matre, more insolito, trahens, vulgò S. *Mac-Nisæ*, sine aliqua additione, dictus est. Patris autem nomen *Fobrec* fuit, ut tam è *Tigernaci* Annalibus, quàm ex antiquo *Ængusiani* Martyrologii Scholiaste, ad diem 3 Septembris, intelligimus. E vivis hic cessit *senex venerabilis*, 3 Septembris anno Dom. 507, vel, secundùm, alios 514.

De Successoribus ejus in sede Connorensi, perexigua supersest memoria, usque ad Anglorum adventum in Hiberniam. Nonnullorum mentio in Historicis nostris occurrit, quorum nomina subjunguntur.

Lugadius, Episcopus Connorensis decessit anno Domini 537.

Dima, seu *Dimanus*, à colore *Dubh* sive niger appellatus, filius *Ænguſii*, nobili *Dalcassiorum* familiâ ortus, S. *Colmanelli* discipulus, ad hunc episcopatum promotus obiit admodùm senex, 16 Januarii 656.

Duchonna obiit 725.

Ægedcarus,

Ægedcarus, dictus etiam Abbas de *Condere* & *Lann-ela*, obiit 865.

MALACHIAS O-MORGAIR.

ANnos multos hæc ſedes caruit Epiſcopo. Tandem verò, anno nempe 1124, ad eam conſecratus eſt à Celſo Archiepiſcopo Armachano, *Malachias O-Morgair*, ac inde octennio pòſt, Armacham migravit, *Pontifex* (inquit S. *Benardus*) *& Metropolitanus totius Hiberniæ*. Neque diù ibi ſedit, nam intra triennium, (ut ſuprà inter Dunenſes retulimus) Archiepiſcopatum ceſſit Gelaſio, & Duni ſedem fixit.

PATRICIUS O-BAINAN.

QUando conſecratus fuerit *Patricius O-Bainan*, non comperi. Interfuiſſe Synodo ſub *Johanne* Cardinale Paparone celebratæ anno 1152 certò conſtat. Obiit in *Jona* inſula, 1174. vir ob virtutes, apud Hiſtoricos Hibernicos admodùm celebris.

NEHEMIAS.

HOvedenus, ad annum 1172, inter ſuffraganeos Archiepiſcopi Armachani, *Nehemiam* Epiſcopum Connorenſem numerat. De quo nihil prætereà traditum reperi. Hinc verò probabile videtur *Patricium* aliquot ante obitum annos reſignâſſe, ut privatàm ageret vitam, in *Jona*.

REGINALDUS.

Reginaldus hic teſtis fuit chartæ *Johannis Curcæi* Ulidiæ pugnatoris circa annum 1183.

CHRISTIANUS O-KERNY.

Chriſtianus O-Kerny, Abbas conſtitutus cœnobii S. *Columbæ Deriæ*, anno 1198, deinde Epiſcopus Connorenſis, obiit 1210.

EUSTACHIUS.

DE proximo Chriſtiani ſucceſſore nihil comperi. *Euſtachius* Archidiaconus Connorenſis in Epiſcopum electus aſſenſum regium obtinuit 1225.

ADAMUS.

Adamus Abbas Wardunenſis, apud Bedfordienſes in Anglia, *Henrici* 3 operâ, Epiſcopus Connorenſis electus eſt 1241, ſed non conſecratus ante finem Septembris 1242. Is ad ſedem ſuam nunquam (ut videtur) pervenit, ſed in Anglia degens, brevi poſteà obiit, nempe (ſecundùm *Matthæum Pariſienſem*) 7 Idus Novembris 1244, & in cœnobio Wardunenſi prædicto ſepultus eſt.

ISAACUS de NOVO CASTRO.

APrilis inſequentis 4, *Iſaacus de Novo Caſtro* ad Tinam, Epiſcopus Connorenſis, Regiam habuit confirmationem. Præfuit annos circiter 12.

GUILIELMUS de PORTU REGIO.

G*Vilielmus de Portu Regio* conſecratus 1257, poſt triennium deinde mortuus eſt.

GUILIELMUS de HAY.

AUguſti 10 1260, licentiâ eligendi ſucceſſorem à rege impetratâ, electus eſt à Capitulo Connorenſi *Guilielmus de Hay*, qui exiguo etiam præfuit tempore. Nam mortem obiit 1263.

ROBERTUS FLANDRENSIS.

R*Obertus Flandrenſis*, ſive *Fleming* ſucceſſit 1264, & cùm ſedidiſſet annos 10, ex hac vita migravit 1274.

PETRUS de DUNATH.

ANte finem ejuſdem anni, *Petrus de Duniath* epiſcopus electus eſt & à Rege confirmatus, Præfuit annos penè 18, & menſe Novembri 1292 defunctus eſt.

JOHANNES.

I*Ohannes* quidam, ad hanc eccleſiam conſecratus eſt 1293. Sed quàm diù præfuit, non comperi. In Pembrigii Annalibus, traditum reperi Epiſcopum quendam Connorenſem anno 1315, Hibernià Bruſii bello flagrante, ad caſtrum de Carigfergus fugiſſe, & epiſcopatum ejus interdicto ſuppoſitum. Sed ibi non editur nomen

nomen Episcopi: ita ut conjicere non possim, an ille *Johannem* hunc intelligat, vel *Richardum Johannis* successorem.

RICHARDUS.

Richardus quidam, præfuit anno 1320, de quo prætereà nihil reperi memoratum.

JACOBUS de COUPLITH.

ELectio facta per Archidiaconum & clerum ecclesiæ Connorensis de *Jacobo de Clouplith* Regis assensu confirmata est 26 Julii 1321. An consecratus fuerit necne, non comperi.

JOHANNES de EGLESCLIFF.

Johannes de Eglescliff, Dominicanus, episcopus Connorensis consecratus, 1322, à *Johanne* 22 Pontifice ad Episcopatum Landavensem in Wallia translatus est, circa festum S. *Michaelis* 1323. sed temporalium illius sedis restitutionem non accepit ante 13 Augusti anno 18 *Edw.* 2, hoc est anno Dom. 1324, ut ex Archivis Regiis quæ in Arce Londinensi asservantur, liquet. Mortem obiit (secundùm *D. Godwinum*) Bithtonæ, quæ tunc temporis Lancadwallader dici consuevit, & Cardiffæ sepultus est, in ecclesiâ cœnobii Dominicanorum.

JACOBUS O-KERNEY.

Jacobus Kernæus, à *Johanne* 22 provisus episcopus Enaghdunensis, eodem Pontifice authore, huc translatus est, & temporalibus à Rege restitutus 22 Decembris 1324. Sedit annos totos, 27. Decessit 1351.

GUILIELMUS MERCIER.

Gvilielmus Mercier, Archidiaconus Darensis consecratus 1253, vel (ut alii volunt) 1255, obiit 1375.

PAULUS.

Paulus quidam, Rector ecclesiæ S. *Colmanelli de Atholrill* Episcopus Connorensis electus Temporalium illius sedis habuit restitutionem Maii 10 1376. Quam diù autem sederit, traditum non reperi.

JOHANNES.

Iohannes quidam, Episcopus fuit 12 Septembris 1411. Sed quando aut consecratus fuerit aut mortem objerit, haud comperi.

EUGENIUS.

Eugenius interfuit Concilio Provinciali à *Johanne Swayno* Archiepiscopo Armachano Pontanæ celebrato, 13 Octobris 1427.

CORNELIUS.

DE *Cornelio* qui successisse prohibetur, præter nomen, nihil omnino memoratur.

JOHANNES.

Johannis hujus conatu, ab *Eugenio* 4 Pontifice, anno 1442 facta est unio Episcopatuum Dunensis & Connorensis, adversante ad tempus *Johanne Preneo* Archiepiscopo Armachano, qui à Papa enixè petierat per literas, ut *Guilielmum* quendam *Basset* ordinis S. *Benedicti*, vacanti sedi Dunensi per depositionem *Johannis Cely* præficeret. De successoribus *Johannis*, post unionem utriúsque Episcopatus, vide quæ suprà perscripta sunt in Catalogo Episcoporum Dunensium & Connorensium.

DE

DE
Epiſcopis
DERENSIBUS.

FLATHBERTUS O-BROLCAN.

DE Cœnobio Derenſi, à S. *Columba* Abbate, Deriæ extructo, anno Salutis 545, alibi diximus. Eccleſia autem Cathedralis opus fuit multò recentioris temporis. Nam illius diœceſis Epiſcopus Ardſrathæ ad Dergum flu. primùm cathedram habuit conſtitutam, ubi primus præfuit Epiſcopus S. *Eugenius*, quem aliqui S. *Patricii* diſcipulum, & ab eo Epiſcopum conſecratum tradunt. Alii verò SS. *Canici* & *Còngalli* æqualem faciunt. Tempora ſanè parùm cohærent, niſi fortè S. *Eugenio* (inter Macrobios illius ſeculi) iſtam tantam longævitatem adſcribamus. Fuit is Prædicator eximius & aſſiduus. Natus porrò dicitur Regio Lagenienſium ſanguine. Deceſſiſſe ferunt 23 die Auguſti anno 618, & in Eccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt, ſuprà cujus ſepulchrum, ſacellum poſteà ædificatum eſt. Ab Ardſratha, ſedes Epiſcopalis Magheram tranſlata fuit, quæ S. *Luræcho* dicata, cujus feſtum agitur 17 Februarii. Atque inde (ut opinor) Epiſcopi illius ſedis Rathlurienſes dicti ſunt. Conſtitutâ verò tandem ſede Derenſi, (de qua poſteà) Dioceſis illa Rathlurienſis huic conjuncta eſt. De cathedra Deriæ primùm collocata, hæc ab Hiſtoricis noſtris traduntur. Anno 1158, Decreto Synodi habitæ apud *Brigth-thaigh*, præſentibus Chriſtiano Epiſcopo Liſmorenſi, Pontificis Legato, & 25 Epiſcopis, ſedes Epiſcopalis ibi conſtituta eſt eique præfectus eſt *Flathbertus O-Brolcan* Abbas Derenſis, vir doctus & liberalis. Is anno 1164, adjutus à *Mauricio Mac-Lochlin* Rege Hiberniæ, eccleſiam cathedralem ibi fundavit. Non negandum tamen ante *Flathbertum*, nonnullos è prædeceſſoribus ejus, Abbatibus Derenſibus, dictos etiam ſi-

mul Episcopos, atque inter eos Coëncomrachum, qui obiit 927, Finactam, qui obiit 937, & Mæl-finin, qui anno decessit 948. Obiit *Flaithbertus* anno 1175, Deriæ, in *S. Columbæ sanctuario*, sepultus, cùm aliquot ante obitum annos episcopatu se sponte abdicâsset, cœnobii solùm Derensis regimine contentus. Electus anteà Abbas Hiensis, electionem eam approbare renuit. Successit ei in cœnobii Derensis præfectura, *Gelasius O-Branan.*

MAURITIUS O-COFFY, aliis O-DUBTHAIC.

IN Episcopatu Derensi, successit *Mauritius*, Hibernis nostris, *Muredachus O-Coffy* appellatus, ex Canonico *Augustiniano* Episcopus primùm factus *Kinel-eogainensis* sive *Tir-oenensis*. Vir ob eruditionem, humilitatem & erga egenos liberalitatem, plurimùm laudatus. Interfuit is Synodo, sub *Johanne* Paparone Cardinale, *Eugenii* tertii Legato, anno 1152 coactæ, in catalogo Episcoporum tunc præsentium dictus *Muiridheach O-Cobthaig Episcopus Ceanla-Eogain.* Vixit posteà usque ad annum Dom. 1173, vel 1174, quo defunctus 10 Februarii, Deriæ in cœnobio S. *Columbæ*, quod olim *Cellam nigram* vocabant, sepultus est. Hunc Hovedenus ad annum Dom. 1172, ubi suffraganeos Archiepiscopi Armachani numerat, Episcopum vocat *Charensem*, pro *Derensem.*

AMBAVUS O-COFFY.

AMlævus *O-Coffy*, in Annalibus Conatiensibus dictus Episcopus de *Kenel-eogain* obiit apud *Dun-crutui*, anno 1185, unde corpus Deriam deportatum ibidem in cœnobio S. *Columbæ*, ad pedes *Mauritii O-Coffy* prædecessoris sui, juxta murum, sepultum est.

FLORENTIUS O-CHERBALLEN.

F*Lorentius*, (Hibernis Fogertachus) *O-Cherballen* decessit anno 1230, ætatis suæ 86, consecrationis 46.

GERMANUS al. GERVASIUS O-CHERBALLEN.

FRater *Germanus*, al. *Gervasius O-Cherballen*, vi multa eripuit à *Davide O-Brogan* episcopo Clochorensi, quæ sedi suæ adjecit, speciatim Ecclesiam de Ardstratha, cum plurimis aliis ecclesiis de Ofeachra. Dicitur porrò partem aliquam diœcesis Rapotensis, à Carbraco *O-Scoba* episcopo Rapotensi subtractam, sedi suæ adjecisse. Eo sedente, anno nempe 1274, cœnobium Dominicanorum Deriæ extructum est. Obiit anno 1279.

FLO-

FLORENTIUS O-CHERBALLEN.

QUi ſucceſſit, *Florentius O-Cherballen*, tertius ejuſdem cognominis, præfuit annos circiter 14. Obiit menſe Julio 1293.

HENRICUS de ARDAGH.

SUcceſſor ejus *Henricus Mac-Oreghty*, vulgò dictus *Henricus de Ardagh*, à loco in Annalia, ubi natus eſt, monachus fuit ordinis Ciſtertienſis, qui à Decano & Capitulo eccleſiæ Derenſis legitimè electus, Regii aſſenſus confirmationem obtinuit Martii 3 1294. Is exiguo, præfuit tempore, nam anno 1297, diem clauſit extremum.

GALFRIDUS.

G*Alfridus* (aliis *Cofridus*) conſecratus Epiſcopus præſulatum tenuit annos plùs minùs 17. Obiit 1315.

ODO O-NEAL.

O*Do O-Neal*, Presbyter ſecularis diœceſis Derenſis, electus 1316, deceſſit menſe Junio 1319, cùm huic diœceſi præfuiſſet annos vix 3, & 19 inſequentis Auguſti data eſt à Rege, Decano & Capitulo Derenſi, licentia ſucceſſorem eligendi.

MICHAEL mac-LAGHLIN.

M*Ichael mac-Laghlin*, electus menſe Auguſto 1319, ſub initium Octobris ſequentis, *Rolando* Archiepiſcopo Armachano in partibus tranſmarinis tunc degente, per *Dionyſium* Decanum Armachanum confirmatus eſt. Sedit anno 1324, ſed quàm diù poſteà non comperi.

SIMON.

S*Imon* quidam, neſcio cujus ſocietatis frater, præfuit annis 1367 & 1369, ſed quando aut conſecratus fuerit aut mortem obierit, nondum reperi.

JOHANNES DONGANUS.

I*Ohannes Donganus*, monachus Benedictinus, hinc Dunum tranſlatus eſt 1595. Vacavit deinde Sedes annos 2.

JOHANNES.

Iohannes Abbas cœnobii de Moycoſcain, aliàs de Claro fonte, à *Bonifacio* 9 Pontifice proviſus eſt Epiſcopus Derenſis, 14 Kalend. Septembris 1401.

GUILIELMUS QUAPLODUS.

SUcceſſit *Guilielmus Quaplodus*, Anglus, Carmelita, Oxoniæ educatus, Bertrani *Fitz-Allen* Carmelitæ itidem & viri eruditi Mæcenas, ut è Lelando liquet, in libro de Scriptoribus Britanniæ, id quod eo libentiùs annotavi, ut Balæi errorem patefacerem, qui *Guilielmum* hunc Epiſcopum appellat Darenſem, unum ſc. è ſuffraganeis Epiſcopis Archiepiſcopi Dublinienſis.

DONALDUS.

D*Onaldus* hic, aliis *Donatus*, præfuit anno 1423, & decennio pòſt, è vita migravit.

JOHANNES.

D*Onaldo* ſucceſſit *Johannes*, qui obiit anno 1456.

BARTHOLOMÆUS O-FLANAGAN.

B*Artholomæus O-Flanagan*, Monachus Ciſtertienſis, à *Caliſto* 3 Papa, epiſcopus Derenſis proviſus, 27 Maii 1458. Præfuit annos vix 5. Sedes vacavit 14 Aprilis 1463. & per triennium (ut videtur) poſteà.

NICHOLAUS WESTON.

N*Icholaus Weſtonus*, Decretorum Bacalaureus, & Eccleſiæ Armachanæ Canonicus, conſecratus eſt 1466. Interfuit is Concilio Provinciali, Pontanæ in eccleſia S. *Petri* coacto, menſe Julio 1480. Obiit 1484.

DONALDUS O-FALLON.

D*Onaldus O-Fallon*, ordinis Minorum de obſervantia, ab *Innocentio* 8 proviſus 16 Calendas Junii 1485. Deceſſit anno 1500, cùm præfuiſſet annos 15, vir magni ſuo tempore nominis, ob eruditionem, & aſſiduas per univerſam Hiberniam conciones, annos totos 30.

JACOBUS

JACOBUS mac-MAHON.

Jacobus mac-Mahon, consecratus 1507, obiit 1517, paulò ante festum Natalis Domini. Fuit is Commendatarius Prior cœnobii SS. *Petri* & *Pauli* de Knock, in agro Louthensi.

RODERICUS O-DONELL.

Rodericus (sive *Roricius*) *O-Donell*, aliquando Decanus Rapotensis, præfuit Episcopus 1529 9 Septembris, obiit 8 Idus Octobris 1551, in habitu ordinis fratrum Minorum, & Dunagallæ, in cœnobio ejusdem ordinis sepultus est.

EUGENIUS MAGENIS.

Successit ei *Eugenius Magenis*, sed quandò vel consecratus fuerit, vel mortem obierit, haùd comperi.

GEORGIUS MOUNTGOMERY.

Dionysius quidam *Cambellus*, Scotus, Decanus Limericensis, designatus episcopus Derensis, Rapotensis & Clochorensis obiit Londini, mense Julio 1603, consecrationis expers, ideoqs eum inter Episcopos non numeravi. Anno verò 1605, *Georgius Mountgomery* natione itidem Scotus, S. Theologiæ Doctor, ex Decano Norwicensi, 13 Junii, *Jacobi* Regis concessione, Episcopatus Derensem, Rapotensem & Clochorensem consecutus est. Anno deinde 1610, duobus prioribus relictis, Midensis etiam administrationem suscepit. De eo plura suprà, inter Midenses & Clochorenses.

BRUTUS BABINGTON.

Brutus Babingtonus, S. Theologiæ Doctor, patriâ Cestriensis, Collegii Christi Cantabrigiæ aliquando socius, Pontanæ consecratus 1610, anno proximè insequenti, ex hac vitâ migravit.

JOHANNES TANNER.

Johannes Tanner, patriâ Cornubiensis, in Academia Cantabrigiensi educatus, à *Jacobo* rege, Arthuri Dom. Chichesteri Hiberniæ Proregis intercessione, Episcopus Dromorensis primùm designatus, anno 1611, ac posteà ad sedis Derensis regimen vocatus, consecratus est mense Maio 1613, Dublinii in ecclesia S. *Patricii*. Decessit Deriæ, sive Londino-Deriæ, à Colonia

nimirùm è Londino tum nuper deducta sic dictæ, 4 Octobris 1615, & ibidem in ecclesia sua cathedrali sepultus est.

GEORGIUS DOUNHAMUS.

Georgius Dounhamus, S. Theologiæ Doctor, in æde Christi Cantabrigiæ educatus, *Jacobo* Regi à sacris, vir doctus, consecratus 6 die Octobris 1616, decessit Londino-deriæ, 17 Aprilis 1634, & ibidem in ecclesia cathedrali sepultus est. Filius is fuit *Guilielmi Dounhami* aliquando Episcopi Ceitrienſis in Anglia.

JOHANNES BRAMHAL.

Johannes Bramhallus, S. Theologiæ Doctor Cantabrigienſis, consecratus est Episcopus Derensis, in capella Castri Dublinienſis, 26 die Maii 1634, & Januarii 18, (stylo Anglicano) 1660. Armacham translatus est.

GEORGIUS WILD.

Georgius Wild, Legum Doctor Oxonienſis, consecratus est Dublinii, in Ecclesia S. *Patricii*, 27 Januarii (juxta computationem Ecclesiæ Anglicanæ) 1660, à *Johanne* Archiepiscopo Armachano, *Johanne* Rapotensi, *Griffino* Osſorienſi, & *Roberto* Kilmorensi Episcopis.

DE

DE Episcopis RAPOTENSIBUS.

S. Eunanus.

Quando primùm sedes cathedralis Raphoæ, sive (ut olim) Rathbothæ, fuerit constituta, haud facilè quis designarit. Cœnobium ibi loci fundavit S. *Columba-cille*, vir regio sanguine, ad virtutem & litteras natus, anteà quidem Crimthanus dictus, *Columbæ* verò nomen, secundùm Adamnanum, (qui vitam ejus descripsit) *ob innocentiam*, secundùm veterem Ænguſiani Martyrologii Scholiasten, eodem sensu *ob simplicitatem* candidam, obtinuit, allusione fortassè factâ, ad Salvatoris nostri præceptum, (Matthæi 10) *Estote ergò prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ.* Hanc structuram restauravit posteà Adamnanus, celebris ille cœnobii Hiensis Abbas, cujus magno cum honore meminit Venerabilis *Beda*, Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum, lib. 5. cap. 16. ubi *virum bonum* eum appellat, *sapientem & scientiâ Scripturarum nobilissimè instructum.* Hujus cœnobii templum in Ecclesiam cathedralem erexit (ut videtur) S. *Eunanus*, qui primus existimatur hujus sedis Episcopus. Quo tempore autem vixerit, nullâ potui indagine invenire. Ostendebatur Raphoæ, non ita pridem, lectus ejus. Ibi pòrrò turris erat rotunda, colli imposita, in qua Episcopi Rapotenses Musæum olim habebant.

Ad *Eunani* successores in sede Rapotensi, quod attinet, extendum est eorum notitiam, usque ad Anglorum ingressum, sub *Henrico* 2 rege, perexiguam supersesse. Duorum duntaxat nomina, in Historicis nostris reperi, quæ subjungam.

Malduinus filius *Kinsailadii.*

Ænguſius O-Lapain obiit 957.

GILBERTUS O-CARAN.

Gilbertus (al. *Gilcomge*) *O-Caran*, præfuit huic ſedi anno 1172, ad quem annum, *Rogerus Hovedenus* (Annalium parte poſteriore) eum numerat inter ſuffraganeos Archiepiſcopi Armachani. In charta confirmationis poſſeſſionum cœnobii de *Newry*, aliàs *de Viridi ligno*, facta per *Mauritium mac-Loghlin* regem Hiberniæ, circa annum 1160, cui, inter alios, teſtis fuit, dictus eſt Epiſcopus Tir-conallenſis, à regione nimirùm, in qua Eccleſia Rapotenſis ſita eſt. Anno poſteà 1175, ad Archiepiſcopatum Armachanum tranſlatus eſt.

Quis proximus ejus fuerit ſucceſſor, haud comperi. Conſtat tamen Epiſcopum quendam Rapotenſem, cujus nomen non editur, reſignâſſe anno 1198, & alium quendam electum epiſcopum. Extat de hac re, in Decretalibus *Innocentii* 3. Epiſtola ejuſdem Pontificis ad Archiepiſcopum Armachanum data 15 Calend. Junii, quâ rejecta eſt illa reſignatio, niſi iterum qui reſignârat, *reſumptâ curâ paſtoralis officii ſpontaneus voluerit in manus Archiepiſcopi reſignare, & Clerici ejuſdem eccleſiæ* electum *in Epiſcopum canonicè duxerint eligendum.* De ſucceſſu nihil traditum reperi.

MÆLISA O-DORIGH.

Mælisa O-Dorigh præfuit Epiſcopus Rapotenſis anno Domini 1203.

PATRICIUS O-SCANLAIN.

Patricius O-Scanlain, ordinis Prædicatorum, Eccleſiæ Rapotenſis Epiſcopus ad Archiepiſcopatum Armachanum, à Decano & Capitulo electus, ab *Urbano* 4 confirmatus eſt per Bullam datam, Nonis Novemb. 1261. De quo vide plura, inter Archiepiſcopos Armachanos.

JOHANNES de ALNETO.

Qui ſucceſſit, *Johannes de Alneto*, Minorita, ab *Urbano* 4 proviſus, reſignavit 4 Calend. Maii 1265, quòd valetudinarius & impar oneri.

CARBRACUS

CARBRACUS O-SCOBA.

Carbracus O-Scoba, ordinis Prædicatorum, consecratus Armachæ 1266, obiit Romæ 1275, quo ob Ecclesiæ suæ negotia profectus fuerat. Hujus tempore, per potentiam Germani *O-Cherballen* Episcopi Derensis, *& nationis suæ de Kenel-eogain*, pars aliqua diœcesis Rapotensis subtracta est, & sedi Derensi adjuncta. Ut ex Regesto Clochorensi intelligimus.

FLORENTIUS O-FERRAL.

Florentius, al. *Fergalius O-Ferral* obiit 1299, ob eleëmosynas, hospitalitatem & alia bona opera multùm celebratus.

THOMAS O-NATHAIN.

SUccessit *Thomas O-Nathain*, aliis *O-Naan*, Archidiaconus Rapotensis, qui mortem obiit anno 1306.

HENRICUS mac-an-CROSSAIN.

SUccessor ejus *Henricus mac-an-Crossain* obiit anno 1319.

THOMAS O-DONNEL.

PRoximus illi successit *Thomas O-Donnel, Cornaci* filius, Abbas cœnobii Assiroënsis, consecratus 1319. Sedit annos 18, decessit 1337. vir ob prudentiam, liberalitatem & alias virtutes celebratus.

PATRICIUS MAGONAIL.

Patricius Magonail, alias *Mac-Mongalius* Episcopus fuit Rapotensis anno 1360, sed quando consecratus nescio. Is ædes Episcopales, in tribus Manneriis ad sedem suam spectantibus, construxit. Ex hac vita migravit 1366.

RICHARDUS mac-CROSSAN.

Richardus mac-Crossan successisse perhibetur, sed quàm diù sederit, nescio.

JOHANNES.

Johannes quidam Monachus Ciſtertienſis (ut habet *Gaſpar Jongelinus*,) à *Bonifacio* 9 proviſus eſt Epiſcopus Rapotenſis, 9 Calend. Martii 1397. Si talis quiſpiam huic diœceſi præfuerit, neceſſum eſt admodùm exiguo tempore ſediſſe, nam *Cornelius* (de quo mox) locum tenuit 13 Octobris 1397.

CORNELIUS mac-CARMIC.

Cornelius mac-Carmic obiit 1399.

ANTONIUS.

Antonius quidam obiit (ut videtur) circa annum Domini 1413.

ROBERTUS MUBIRE.

In tomo 5 Annalium *Lucæ Waddingi*, traditum reperi *Robertum Mubire*, ex ordine Minorum, proviſum fuiſſe epiſcopum Rapotenſem, per obitum *Antonii*, 4 Calendas Junii 1414. An ſedem ſuam unquam viderit, dubito.

JOHANNES mac-CARMIC.

Johannes mac-Carmic obedientiæ profeſſionem præſtitit *Nicholao* Archiepiſcopo Armachano in capella Mannerii de Dromiſkin, 2 Martii (ſtylo Anglicano) 1415. Mortem obiit 1419.

LAURENTIUS O-GALCHOR.

Laurentius (aliàs *Longhlin*) *O-Galchor*, Decanus Rapotenſis, à *Martino* 5 Papa Epiſcopus ejuſdem eccleſiæ declaratus eſt 3 Calend. Martii 1420, vel (ſtylo Anglicano) 1419. Obiit anno 1438. Sedes deinde vacavit annos pluſquàm 4.

JOHANNES mac-GILBRIDE.

Johannes mac-Gilbride videtur *Laurentii* proximus ſucceſſor extitiſſe. Quàm diù ſederit non comperi.

LAURENTIUS O-GALCHOR.

Laurentius, al. *Longhlin O-Galchor*, ſecundus ejus nominis deceſſit 1477. Ob incontinentiam in jus vocatus 1469. coram

coram *Johanne Boleo* Archiepiſcopo Armachano, poſt pœnitentiam abſolvitur, ut ex Regeſto *Bolei* conſtat.

MENELAUS mac-CARMACAN.

Menelaus (aliàs *Menma*) *mac-Carmacan*, Decanus Rapotenſis, Epiſcopus renuntiatus, obedientiæ profeſſionem præſtitit *Octaviano de Palatio* Archiepiſcopo Armachano, 16 Julii 1484. Mortem obiit in habitu Franciſcano, 7 Idus Maii 1515, & Dunagallæ in cœnobio ejuſdem ordinis, ſicut mandaverat, ſepultus eſt.

CORNELIUS O-CAHAN.

SUcceſſit illi *Cornelius O-Cahan*, qui præfuit ad annum uſque 1550, ſed quàm diù poſteà, minimè habeo compertum.

DONATUS MAGONAIL.

Donatus Magonail, aliàs *mac-Congail* ſucceſſit, & interfuit Concilio Tridentino anno 1563. Deceſſit apud Calebeg anno 1589.

GEORGIUS MOUNTGOMERY.

DE eo, fusè ſuprà diximus, inter Epiſcopos Midenſes, &c. Nec eſt cur hîc repetam.

ANDREAS KNOX.

Andreas Knox, natione Scotus, Epiſcopus Inſularum, per reſignationem prædeceſſoris, ad hanc ſedem tranſlatus eſt Junii 26 1611. Conſiliariis Regiis in Hibernia paulò pòſt annumeratus. Deceſſit 17 Martii (ſtylo Anglicano) 1632, tranſlationis anno 22.

JOHANNES LESLEY.

Johannes Leſley, Scotus, S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, Inſularum itidem Epiſcopus, huc tranſlatus eſt, Junii 1 1633, & hinc Cloghoram, menſe Junio 1661.

ROBERTUS LESLEY.

Robertus Leſley, S. Theologiæ Doctor Dublinienſis, *Henrici Leſlæi* filius, Midenſis nuper Epiſcopi, conſecratus epiſcopus Dromorenſis, in eccleſia S. *Patricii* Dublinii, 27 Januarii 1660, huc tranſlatus eſt 1661, menſe Junio.

DE Epiſcopis KILMORENSIBUS.

HUjus diœceſis Epiſcopi, ſtylo à *Breſinia* (Regione ita dictâ) mutuato, Brefinienſes aliquandò dicti ſunt, quandóque Triburnenſes, quia conſediſſe dicuntur in viculo quodam obſcuro, Triburna dicto. Cæterùm anno tandem 1454, *Andreas mac-Brady* Epiſcopus Triburnenſis Eccleſiam parochialem S. *Feidlimidi*, aliàs *Felimii*, Kilmoræ, quam in loco commodiore ſitam invenerat, *Nicolai* V. Papæ aſſenſu, in cathedralem erexit, & in ea 13 Canonicos collocavit. Hanc erectionem confirmavit *Caliſtus* III, anno inſequenti. Circa idem (ni fallor) tempus, Decanatus Kilmorenſis conſtitutus eſt. Ad S. *Feidlimidum* quod attinet, vixit is *Seculo* VI, & frater fuit S. *Diarmitii* Abbatis Iniſcloghranenſis. Obiit 9 die Auguſti. Hic eſt (ut conjicio) quem Regeſtum Cloghorenſis eccleſiæ Epiſcopum vocat Eccleſiæ Cluainenſis, quam ad lacum dictum *Lough-Ern* ſitam, nos vulgò *Clunes* dicimus, & ibidem cum S. *Tigernacho* primo loci Epiſcopo, ſepultum tradit. Sed de hac re, quærant alii. Jam inde à novæ hujus fundationis initiis, ipſe *Andreas* ejúſque ſucceſſores non Epiſcopi Brifinienſes, nec Triburnenſes, ut anteà, ſed Kilmorenſes plerúmque appellati ſunt. Et videtur ſanè ipſum Epiſcopatum Brefinienſem, vel Triburnenſem, non antiquæ fuiſſe memoriæ, cum de eo, nulla fit mentio in Diviſione Epiſcopatuum Hiberniæ facta in Synodo, ſub *Johanne* Paparone Cardinale, habita, menſe Martio 1152. prout è codice cenſuum cameralium Centii Camerarii, qui fuit poſteà Honorius III, patet.

FLORENTIUS O-CONACTY.

QUi primus occurrit, eſt *Florentius*, aliàs *Flannus O-Conacty*, dictus Epiſcopus Brefinienſis. Obiit 1231.

CONO-

CONOGLACUS mac-ENEOL.

Conoglacus, al. *Congallus mac-Eneol* præfuit annos ferme 19, & ſub initium anni 1250 Epiſcopatu ſe abdicavit. Maii deinde inſequentis 27, poteſtas eligendi ſucceſſorem conceſſa eſt à rege Capitulo Triburnenſi.

SIMON O-RUIRK.

Simon O-Ruirk, epiſcopus electus Triburnenſis aſſenſum regium obtinuit, Junii 20 1251, & diem clauſit extremum anno 1286, cùm ſediſſet annos 35.

MAURITIUS.

Mauritius quidam, Abbas Canonicorum cœnobii B. *Mariæ* Kellenſis in Midia ſucceſſor illi deſignatus eſt. Præfuit annos 21. Obiit 1307.

MATTHÆUS mac-DUIBNE.

Matthæus mac-Duibne, filius *Tigernaci* vir magni inter ſuos nominis ſucceſſit, & huic ſedi præfuit annos fermè 7. Deceſſit 1314.

PATRICIUS.

Patricius quidam ſucceſſit & præfuit anno 1319, ſed quàm diù poſteà, neſcio.

CORNELIUS mac-CONAMA.

Cornelius mac-Conama, in Annalibus Ultonienſibus dictus epiſcopus Breſinienſis obiit 1355.

RICHARDUS O-RELY.

Succeſſor ejus *Richardus O-Rely*, dictus etiam Epiſcopus Breſinienſis obiit anno 1370. Atro carbone, libidines ejus notantur, in Regeſto *Milonis Sweetman* Archiepiſcopi Armachani.

THOMAS de RUSHOK.

Thomas de Ruſhok, Anglus, ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, *Richardo* 2 Regi à Confeſſionibus, conſe-

cratus episcopus Landavensis in Wallia, Maii 3 1383, Ciceſtriam in Anglia translatus est mense Octobri 1285. Post triennium deinde, tanquàm seditionis incentor ab Aula pulsus est, à Baronibus, & bona ejus authoritate Parlamentariâ confiscata. Anno verò sequenti, (hoc est 1389) ab *Urbano* VI Pontifice, ad hunc episcopatum (Triburnensem inquam) translatus est. Sed in Angliia non ita diù pòst, mœrore (ut putatur) confectus extabuit.

JOHANNES O-RELY.

SUccessor ejus in sede Triburnensi *Johannes O-Relius*, *Galfridi* filius, obiit 1393.

RODERICUS BRADÆUS.

ANno 1396, *Rodericus Bradæus*, Romæ, à *Bonifacio* 9 Papa, provisus est Episcopus.

NICHOLAUS BRADÆUS.

QUi successit, *Nicholaus Bradæus*, obiit anno 1421, vir ob liberalitatem erga egenos celebratus.

DONATUS.

D*Onatus* quidam successit, & præfuit ad annum usque 1442, sed quantum deinde amplius, me fugit.

ANDREAS mac-BRADY.

ILlum sequutus est *Andreas mac-Brady*, (è familia ut opinor *Bradæorum*) Archidiaconus Triburnensis. Is Ecclesiam parochialem S. *Feidlimidi* al. *Felimii*, Kilmoræ, (ut suprà diximus) *Nicholai* V Papæ assensu, in cathedralem erexit anno 1454, & ibidem 13 Canonicos seculares collocavit. Hanc erectionem confirmavit *Calistus* III, anno sequenti. Quare ipse & successores ejus, jam inde, ab eo tempore, non Triburnenses nec Brefinienses ut anteà, sed Kilmorenses plerúmque appellati sunt. Decessit anno 1456.

THADDÆUS.

T*Haddæus* hic interfuit Synodo Provinciali, sub *Johanne Boleo* Armachano, Pontanæ, in ecclesia S. *Petri* celebratæ, mense Junio 1460.

FURSEUS

FURSÆUS mac-DUIBNE.

FUrsæus *mac-Duibne*, qui ſucceſſit, exiguo præfuit tempore. Obiit 5 Calend. Decembris 1464.

JOHANNES.

SUcceſſit *Johannes* quidam. Vixit is 16 Maii 1470, ſed quàm diù poſteà neſcio.

THOMAS BRADÆUS.

THomas *Bradæus*, aliàs dictus *Andreæ* filius, ſucceſſor ejus interfuit Synodo Provinciali habitæ Julii 6 1489, in Eccleſia B. *Mariæ de Atherde*, apud Louthenſes, in qua magnam habuit contentionem cum Cormaco quodam, de jure Epiſcopatus Kilmorenſis, utróque ſe pro Epiſcopo gerente. Atqui res tandem, communi conſenſu, ſubjecta eſt Midenſis, Clochorenſis & Ardachadenſis Epiſcoporum arbitrio. Quid tunc temporis concluſerint, non comperi. Hoc certè conſtat, ex Regeſto *Octaviani de Palatio* tunc Archiepiſcopi Armachani, utrúmque (tam *Thomam* nempè quàm Cormacum) ſexennio poſteà, appellatum fuiſſe Epiſcopum Kilmorenſem, & interfuiſſe (quod mireris) Synodo Provinciali Pontanæ, tunc habitæ, in Eccleſia S. *Petri*. Obiit *Thomas* anno 1511.

DERMITIUS.

SUcceſſit ei *Dermitius* quidam, vir doctus, qui gliſcentibus in Ultonia tumultibus, utpote homo tranquillitatis amans, Swordam in agro Dublinienſi conceſſit, ubi Vicarii munere diù functus eſt. Mortem obiit 1529.

EDMUNDUS NUGENT.

Edmundus Nugent (neſcio an proximus ſucceſſor) Prior fuit cœnobii B. Mariæ de Triſternagh. Prioratum verò uſque ad Cœnobiorum ſuppreſſionem, commendatarius tenuit: tumque *Henrico* VIII. regi per chartam tranſcripſit. Ei deinde Rex annuam viginti ſex librarum 13 ſol. & 4 denar. penſionem, ex poſſeſſionibus Prioratus, quoad viveret, contulit, Martii nempè 20 1540. Obiit regnante Maria.

JOHANNES BRADÆUS.

Johannes Bradæus ſucceſſit.

JOHANNES GARVÆUS.

Johannes Garvæus Decanus eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii, ab *Elizabetha* Regina Epiſcopus deſignatus Kilmorenſis, conſecrationem obtinuit 1585. Hinc Armacham tranſlatus eſt Maii 10, 1589. Vacavit deinde hæc ſedes, per bellicas populationes, annos pluſquàm 14.

ROBERTUS DRAPER.

Robertus Draper, Rector eccleſiæ Trimmenſis, *Jacobi* Regis conceſſione, Martii 1, (ſtylo Anglicano) 1603, hanc ſedem ſimul cum Ardachadenſi conſequutus eſt. Deceſſit menſe Auguſto 1612, conſecrationis anno 8.

THOMAS MOYGNE.

Thomas Moigne, S. Theologiæ Baccalaureus, patriâ Lincolnienſis, Decanus eccleſiæ S. Patricii Dublinii ſucceſſit ei in utroque epiſcopatu, conſecratus Pontanæ 12 Januarii 1612. Præfuit annos ferme 16. Obiit Dublinii, Januarii primo (ſtylo Anglicano) 1628, ætatis anno 65, apoplexiâ correptus, & ibidem in eccleſia S. Patricii ſepultus eſt, Januarii 3.

GUILIELMUS BEDELLUS.

Gulielmus Bedellus, S. Theologiæ Doctor, patriâ Suffolcienſis, & in Collegio Emanuelis Cantabrigiæ educatus, homo Latinis, Græcis & Hebraicis litteris eruditus, menſe Auguſto anno 1627, admiſſus eſt Præpoſitus Collegii S. Trinitatis juxta Dublin.

&

& poſt biennium, ad Epiſcopatus Kilmorenſem & Ardachadenſem provectus, conſecratus eſt Pontanæ, in Eccleſia S. Petri, Septembris 13 1629. à *Jacobo* Archiepiſcopo Armachano, *Roberto* Dunenſi & Connorenſi, *Theophilo* Dromorenſi & *Jacobo* Cloghorenſi Epiſcopis. Anno verò 1633. Ardachadenſem ſponte abdicavit. Deceſsit prope Kilmoram, ubi diù captivus à rebellibus detentus fuerat, ex mœrore (ob funeſta ea tempora, & miſerias quas pertulerat) morbo contracto, ſub medium Martii (ſtylo Anglicano) 1641, & in cœmeterio eccleſiæ cathedralis Kilmoræ ſepultus eſt.

ROBERTUS MAXWELL.

Robertus Maxwellus S. Theologiæ Doctor, ex Accademia Dublinienſi, Archidiaconus Dunenſis, *Georgii Maxwelli* filius, Decani olim Armachani, conſecratus eſt Epiſcopus Kilmorenſis, Dublinii in eccleſia S. *Patricii*, 24 Martii anno 1643 deſinente. Anno deinde 1660, *Caroli* 2 Regis conceſsione, Ardachadenſis etiam adminiſtrationem ſuſcepit. Cui ſimul cum Kilmorenſi hodiè præſidet.

DE Epiſcopis ARDACHADENSIBUS.

S. MELUS.

ECcleſia Cathedralis Ardachadenſis, meritò inter antiquiſſimas totius Hiberniæ numerata, à S. *Patricio* fundata eſt, eiq; præfectus S. *Melus*, Britannus, S. *Patricii* è Darerca ſorore nepos. Hunc *ex proprio labore manuum, more Pauli*, victumſibi comparâſſe, aſſerit *Jocelinus*, in vita S. *Patricii*, cap. 102. Obiit S. *Melus*, anno Salutis 488, Februarii die 6, quadriennio ante auunculum, & in Eccleſia ſua Ardachadenſi ſepultus eſt. Ardachæ nominis ratio ab editiori ſitu deducitur. Atque hujus nominis libentiùs hîc memini, quia *Ard* generali vocabulo loca editiora Hibernicè vocantur.

S. MELCHUO.

SAnctus *Melchuo*, S. *Meli* frater germanus, huic etiam ſedi præfuit. Quando obierit, traditum non reperi. Sextus autem Februarii ejus memoriæ dicatus eſt. De ſucceſſoribus ejus in hac ſede, ad Anglorum uſq; adventum, ſub *Hen.* noſtro 2, admodùm pauca traduntur.

S. ERARDUS.

SAnctus *Erardus*, Hibernus, Ardachadenſis Epiſcopus, unà cum fratribus ſuis, S. *Alberto* & *Hildulpho*, aliiſq; 19 ſociis, patriâ relictâ, ſub medium *Seculi* 8, in Germaniam profectus eſt, ubi in fide Chriſtiana propaganda, multùm elaboravit. Obiit Ratisbonæ,

Ratisbonæ, 8 Januarii, ac ibidem in cœnobio Monialium tumulo conditus est. De certo anno nihil traditum reperi. Post aliquot demùm secula, à *Leone* 9 Pontifice, in Sanctorum album adscriptus est, anno 1052. Hæc desumpta sunt ex Breviario Ratisbonensi. Atqui in Hibernorum Annalibus, nullam ejus mentionem reperi. Et certè si historiam hujus rei ab aliis scriptam consulamus, confiteamur oportet, multâ obscuritate esse involutam. Vide *Joh. Colgani* Acta Sanctorum Hiberniæ, ad 8 Januarii.

Ceili episcopus Ardachadensis obiit 1048.

Macrait O-Moran obiit 1168.

CHRISTIANUS O-HEOTAI.

Christianus O-Heotai, vel *O-Heoraic*, obiit 1179. *Christiani* hujus mentionem facit *Hovedenus*, ad annum Dom. 1172.

O-Tirlenan obiit 1187.

O Hisienan occisus est 1189.

ADAMUS O-MURREDAI.

Adamus, aliis *Annad O-Murredai*, decessit 1217. Inter benefactores cœnobii B. Mariæ de Tristernagh numeratus.

ROBERTUS.

Successit *Robertus* quidam, Anglus, Monachus Cistertiensis, undecimus Abbas cœnobii B. Mariæ virginis juxta Dublin. E vivis excessit 5 Calend. Junii, 1224.

SIMON MAGRAITH.

Qui successit, *Simon Magraith*, obiit anno 1230. in Annalibus Ultonienſibus appellatus *Mac-raith mac-Serrai*, & ob morum sanctitatem laudatus.

JOSEPHUS MAGODAIG.

Iosephus Magodaig, Archidiaconus Ardachadensis in Episcopum electus Romam iter arripuit, ubi à Pontifice confirmationem obtinuit. Sed in reditu mortem obiit Florentiæ, in Italia, anno 1231.

JOCELINUS O-TORMAIG.

Iocelinus O-Tormaig, consecratus 1233, & sub finem ejusdem anni (nempè Martii 1, stylo Anglicano) confirmatus, mortem obiit 1237. Concessit is cœnobio Glastonienſi in Anglia 15 dies indulgentiarum, & cœnobio S. Albani, totidem alios.

BRENDANUS MAGODAIC.

ANno 1238, ſucceſſit *Brendanus Magodaic*, qui annos ſedit 17, & decedens anno 1255, in cœnobio Canonicorum S. Petri de Derg ſepultus eſt. Dedit is, in feſto Pentecoſtes 1251, *Capellæ B. Mariæ in Templo*, Londini, 30 dies indulgentiarum. Sunt qui illi præponant (quo authore neſcio) *Gelaſium mac-Scelaigi*.

MILO de DUNSTAPLE.

Milo de Dunſtaple, ab opido Dunſtaplenſi in agro Bedfordienſi, ubi natus videtur, ita cognominatus, Epiſcopus Ardachadenſis electus, Regio aſſenſu probatus eſt, Maii 26 1258. Præfuit huic ſedi annos circiter 23. Obiit 1289.

MATTHÆUS O-HEOTHY.

POſt *Milonis* obitum, integrum per annum ſedes vacavit. Anno verò 1290, conſecratus eſt *Matthæus O-Heothy*, qui præfuit poſteà annos 32. Deceſſit anno 1322. Illi defuncto ſucceſſor deſignatus eſt *Alexander* quidam, ſed an conſecratus fuerit necne, neſcio. Certè ex Archivis Regiis quæ Dublinii in turri Birminghamiana aſſervantur, liquet Temporalia hujus ſedis, à morte *Matthæi*, ad annum uſque 1331, per Eſcaëtores Regis fuiſſe recepta.

JOHANNES MAGEOI.

Johannes Mageoi, qui ſucceſſit, obiit anno 1343. Sedes deinde vacavit annos 3.

AUDOENUS O-FERRALL.

Audoenus O-Ferrallus, Archidiaconus Ardachadenſis, à Decano & Capitulo, ante finem anni 1343, legitimè electus, conſecrationem non obtinuit (quam ob cauſam non reperi) ante annum 1347. Præfuit poſteà annos 20. Deceſſit 1367, ab Hiſtoricis Hibernicis, ob vitæ integritatem, celebratus.

GUILIELMUS mac-CASAC.

SUcceſſit *Guilielmus mac-Caſac*, Presbyter ſecularis, qui equo excuſſus interiit anno 1373. Menſe Auguſto eodem anno, magna orta eſt diſcordia de ſucceſſoris electione: Nam ab una parte Capituli, electus eſt *Carolus O-Ferall*, is nimirum (ut opinor) qui

qui succeſſit, ab alia parte, *Richardus Ferallus* Decanus Ardachadenſis, & à tertia parte, *Johannes Ambry* Dominicanus Trimmenſis.

CAROLUS O-FERAL.

Carolus, aliàs *Carbracus O-Ferall*, conſecratus 1373, obiit Romæ 1378.

JOHANNES O-FRAIC.

HUic ſedi tum præficitur Frater *Johannes O-Fraic*. Mortem is oppetiit anno 1394. Vacavit deinde ſedes circiter biennium.

GILBERTUS mac-BRADY.

Gilbertus mac-Brady, à *Bonifacio* 9 Pontifice proviſus, conſecratus eſt anno 1396.

ADAMUS LYNS.

Adamus Lyns, ordinis fratrum Prædicatorum, obiit menſe Junio 1416.

CORNELIUS O-FERALL.

SUccеſſit illi *Cornelius O-Ferall*, qui obedientiæ profeſſionem præſtitit *Johanni Swayno* Archiepiſcopo Armachano, in mannerio de Athboy, 3 Februarii 1418. Obiit 1424, & in cœnobio fratrum Prædicatorum de Longford ſepultus eſt. Vir ob liberalitatem erga pauperes, celebratus. Poſt mortem ejus, *Swaynus* Archiep. Armachanus (ut in Regeſto ejus reperi fol. 67. a.) *Principalia* defuncti *Cornelii*, *viz. equum, annulum & cyphum*, ſibi vendicavit. Similia ſibi poſtea vendicavit, ut de jure eccleſiæ ſuæ Armachanæ, poſt mortem ſuffraganei ſui *Arthuri mac-Camæil*, epiſcopi Clochorenſis, ut ex alio ejus Regeſto, fol. 147. patet: ubi & in parte ſatisfactionis ſe equum recepiſſe fatetur. Quàm diù hæc conſuetudo duraverit, non reperi.

RICHARDUS.

Richardus quidam obiit 1443. Sed quando fuerit conſecratus neſcio.

CORMACUS.

SUccessit *Cormacus*, & præfuit ad annum usque 1470. Quando verò obierit, nondum invenire potui.

GUILIELMUS O-FERALL.

Gvilielmus O-Ferall (filius *Donaldi*) obiit anno 1516, Annaliæ *Dynastæ*, etiam post infulas susceptas. Non possum non suspicari *Guilielmum* qui huic sedi præfuit Junii 26 1486, & istum unum eundémque fuisse hominem. *Guilielmus* hic *Ferallus* diù ante obitum resignavit.

THOMAS O CONGALAN.

T*Homas O-Congalan* obiit 1508, homo ob prudentiam & liberalitatem erga egenos multùm celebratus. Hunc aliqui Episcopum vocant Elphinensem. Mihi verò (ut quod sentio dicam) satis clarum videtur, eum nunquam sedi Elphinensi præfuisse.

EUGENIUS.

E*Vgenius* quidam, ordinis Prædicatorum, à Julio 2 Pontifice, provisus est Episcopus Ardachadensis, per obitum Congalani, 22 Decembris 1508.

RICHARDUS FERALLUS.

R*Ichardus Ferallus*, Abbas Granardensis, à Decano & Capitulo electus, Temporalium hujus sedis restitutionem obtinuit Julii 14 1541, & cùm huic sedi præfuisset annos 12, obiit 1553. Annaliæ Dynastiâ hic quoad vixit potitus est. Successit in Episcopatu, *Patricius mac-Mahon*, in Dynastia, *Conatius Ferallus*.

PATRICIUS mac-MAHON.

QUi successit, *Patricius mac-Mahon*, anteà episcopus suffraganeus *Dondalli* Archiepiscopi Armachani, obiit circa annum Domini 1577.

LISACHUS FERALLUS.

POst diuturnam vacationem, *Lisachus Ferallus*, *Elizabethæ* Reginæ dono, hunc Episcopatum consequutus est, anno 1583.

ROBERTUS

ROBERTUS DRAPER.

Robertus Draperus, Rector Trimmensis, *Jacobi* Regis designatione, ad Episcopatus Kilmorensem & Ardachadensem provectus est anno 1603, quos simul tenuit, usque ad annum 1612, quo ex hac vita migravit.

THOMAS MOIGNE.

Thomas Moigne, S. Theologiæ Bacalaureus Cantabrigiensis, Deeanus ecclesiæ S. *Patricii* Dublinensis, successit ei in utróque episcopatu, anno 1612, retento ad tempus Decanatu. Mortem obiit Dublinii, Januarii primo 1628, apoplexiâ correptus, & ibidem in Ecclesia S. *Patricii* sepultus est.

GUILIELMUS BEDELLUS.

Vilielmus Bedellus, S. Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, Collegii S. Trinitatis Dublinii Præpositus, ad utrumque episcopatum promotus 1629, post quadriennium episcopatu Ardachadensi se sponte abdicavit. De illo plura, inter Kilmorenses.

JOHANNES RICHARDSON.

Johannes Richardsonus, S. Theologiæ Doctor ex Academia Dublinensi, patriâ Cestriensis, Archidiaconus Derensis, *Guilielmo* successit in sede Ardachadensi, consecratus Armachæ, in autumno 1633. Obiit Londini 11 Augusti 1654. Vacavit deinde Sedes, usque ad restaurationem Serenissimi Regis nostri *Caroli* 2, prædiis Episcopatus, toto eo tempore, pro more pessimo tunc à novatoribus usitato, distractis.

ROBERTUS MAXWELLUS.

Robertus Maxwellus, S. Theologiæ Doctor Dublinensis, consecratus episcopus Kilmorensis, 24 Martii 1643, (uti suprà diximus) hujus etiam sedis administrationem suscepit, *Caroli* 2 Regis dono, 21 die Februarii 1660.

DE Episcopis DROMORENSIBUS.

S. COLMANUS.

Ecclesia Dromorensis originem suam debet S. *Colmano, Aradeorum gente oriundo*, primo cœnobii Muckmorensis, apud Antrimenses Abbati, deinde primo hujus sedis Episcopo. Hunc *Jocelinus*, in vit. S. *Patricii*, cap. 96, *Colmanellum* vocat: sed *Mocolmoc* etiam dictum notat vetustus *Ænguſiani* Martyrologii Scholiastes. Claruit *Colmanus* Seculo VI. Quippe qui natus fuit anno 516. Obiit 7 Idus Junii. Annum verò obitus ejus nondum invenimus. De hac sede, in libro Centii Camerarii, (quod mireris) nulla habetur mentio. Ideoq; credibile videtur, aliquot Seculis, eam proprio caruisse Antistite. Sunt qui opinentur, toto eo tempore, Diœcesi Archiepiscopi Armachani fuisse inclusam. Atque ut Episcopatus erat olim tenuissimus, ita admodùm pauca sunt, quæ de Episcopis traduntur. Ego certè non reperi (fateor) mentionem Episcopi cujusquam Dromorensis post S. *Colmanum*, ante Anglorum tempora, nisi unius, dicti *Rigan*, qui obiisse dicitur anno 1101.

GERARDUS.

Primus cujus mentionem reperi, post Divisionem sæpe suprà memoratam Episcopatuum Hiberniæ, factam in Concilio, sub Paparone Cardinale, habito anno 1152, est *Gerardus*, monachus Cistertiensis cœnobii Mellifontis, qui Episcopus electus Dromorensis, assensum regium obtinuit 25 Aprilis 1227, & præfuit circiter annos 18.

ANDREAS.

ANDREAS.

ELectio facta de *Andrea* Archidiacono Dromorensi, regio assensu confirmata est, 1 Octobris 1245. qui eodem etiam anno consecratus est.

TIGERNACHUS.

T*Igernachus* fuit Episcopus Dromorensis anno 1287.

GERVASIUS.

SUccessit *Gervasius*, ad hunc præsulatum evectus, circa annum 1290.

TIGERNACHUS 2.

T*Igernachus* 2. nescio cujus societatis Monachus, obiit anno 1309.

FLORENTIUS mac-DONEGAN.

EOdem anno, *Florentius mac-Donegan*, ecclesiæ Dromorensis Canonicus, à Decano & Capitulo ejusdem ecclesiæ electus est, & ab *Edwardo* 2 rege confirmatus.

CHRISTOPHORUS.

C*Hristophorus* præfuit anno 1369. sed quando consecratus fuerit, aut mortem obierit, traditum non reperi.

CORNELIUS.

C*Ornelius* quidam, successor ejus obiit circa annum 1381.

JOHANNES O LANNUB.

J*Ohannes O-Lannub*, ordinis Minorum, ab *Urbano* 6 provisus, post agnitam Regi fidelitatem, Temporalibus restitutus est Novembris 10 1382.

JOHANNES VOLCAN.

J*Ohannes Volcanus*, Episcopus Dromorensis à Papa ad Episcopatum Ossoriensem translatus est anno 1404, ubi exiguo præfuit tempore, morte sublatus anno sequenti, circa festum S. *Michaelis*.

RICHARDUS MESINUS.

Richardus Meſinus, Carmelita, qui ſucceſſit, obedientiæ profeſſionem *Coltono* Archiepiſcopo Armachano præſtitit, 11 Novembris 1408, & anno ſequenti è vita migravit, Eboraci inter Carmelitas ſepultus.

JOHANNES.

SUcceſſor ejus *Johannes* quidam, obedientiæ ſimiliter profeſſionem jam dicto *Coltono* (ut è Regeſto ejus liquet) præſtitit, 4 Januarii 1410. Obiit 1418.

NICHOLAUS WARTRE.

Nicholaus Wartre, ordinis Minorum, à *Martino* V. Pontifice proviſus eſt 16 Calend. Aprilis 1419.

DAVID de CHIRBURY.

David de Chirbury ſucceſſit. Sedes Dromorenſis vacavit 1 Junii 1431, fortè illius morte. Sepultum ferunt Ludloæ, in agro Salopienſi, in cœnobio ſui ordinis.

THOMAS SCROPUS.

Thomas Scropus, aliàs *Bradley*, Carmelita Norwicenſis, ab *Eugenio* 4 proviſus eſt, circa annum 1434. *Rhodianis militibus* (inquit Lelandus) *chariſſimus fuit; nam apud illos Legati functione uſus eſt. Præterea Romæ in pretio erat, magnâque cum* Eugenio 4, *cui libros aliquot Hiſtoricos de rebus Carmeliticis, dedicavit, gratiam iniverat. Vixit ad decrepitam uſque ætatem. Mortuus eſt anno Dom.* 1491. *Sepulchrum ejus oſtenditur Lowtoſti, opido maritimo & limitaneo Sudovolgiæ.* Cæterùm diù ante obitum epiſcopatu ſe ſponte abdicavit. Extat in Bibliotheca publica Cantabrigiæ, libellus ejus, *De Inſtitutione fratrum Carmelitarum ordinis*, quem dicavit *Johanni Blackneio*, monacho nigro.

THOMAS RADCLIFFUS.

SUcceſſit i li in epiſcopatu, *Thomas Radcliffus*, tempore *Henrici* VI Regis Angliæ, qui ſicut prædeceſſor in Anglia vixit, & (quantùm auguror) ſedem ſuam epiſcopalem nunquam vidit. In libro Benefactorum eccleſiæ Dunelmenſis, olim vulgò dicto

Libro

Libro vitæ, fol. 57. b. is appellatur *Magiſter Thomas Radcliff, epiſcopus Dromorenſis, & Suffraganeus Dunelmenſis.* Habetur liber iſte in egregia Bibliotheca Cottoniana, Weſtmonaſterii, ſub effigie Domitiani. A. 7.

GEORGIUS BRANNUS.

GEorgius quidam, natione Græcus, patriâ Athenienſis, huic ſedi præfuit 1489. Procurator & Miniſtrator *fuit Indulgentiarum Hoſpitali S. Spiritus in Saxia* (ſive in vico Saxonum) *de Urbe, & Benefactoribus indultarum, necnon ad conſtruendum novum Hoſpitale S. Spiritûs, membrum viz. ſupradicti Hoſpitalis, in Hibernia.* Vidi ego Sigillum hujus (ut opinor) *Georgii*, quo uſus eſt ante infulas ſuſceptas, cum hac inſcriptione: *Sig. Georgii Branni vicarii generalis S. Spiritus.* Hinc poſteà, 15 Calend. Maii 1499, ab *Alexandro* VI Pontifice, Elphinam tranſlatus eſt, per ceſſionem *Nicholai.*

GUILIELMUS.

GVilielmus quidam, dictus Epiſcopus Dromorenſis & Suffraganeus Eboracenſis vixiſſe perhibetur Eboraci, anno 1500.

GALEATIUS.

GAleatius, al. *Galentius* quidam, epiſcopus Dromorenſis mortem obiit 1504.

JOHANNES BAPTISTA.

IUnii 12 1504, per mortem prædeceſſoris, *Johannes Baptiſta* proviſus eſt Epiſcopus Dromorenſis. Hi tres poſtremi Hiberniam (ut opinor) nunquàm inviſerunt.

THADDÆUS.

THaddæus quidam, ordinis Minorum, proviſus dicitur Epiſcopus Dromorenſis, ultimo Aprilis 1511, per tranſlationem *Georgii.*

ARTHURUS MAGENIS.

ADſucceſſores *Thaddæi* quod attinet, per centum poſteà annos, non reperi (fateor) mentionem cujuſquam, niſi unius, dicti *Arthuri Magenis*, qui vixit anno 1550, quo tempore, ab *Edwardo* VI rege, poſt agnitam fidelitatem, confirmatus eſt.

JOHANNES TOD.

Iohannes Tod, Episcopus Dunensis & Connorensis, hunc etiam Episcopatum Commendatarius tenuit. De eo, vide quæ suprà diximus, inter Dunenses & Connorenses.

THEOPHILUS BUCKWORTH.

Theophilus Buckworthus S. Theologiæ Bacalaureus, Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ alumnus, natus apud Albam Aulam, vulgò *White-hall*, prope Wisbecam in agro Cantabrigiensi, consecratus est Dublinii, mense Maio 1613. Ortâ verò rebellione, 1641, in Angliam se mox contulit, ubi in eadem domo quâ natus est, decessit anno 1652, annos natus 72.

ROBERTUS LESLEY.

PRoximus illi successit (post longam, per iniquitatem temporum, vacationem,) *Robertus Lesley*, S. Theologiæ Doctor, consecratus 27 Januarii 1660, & Raphoam translatus, mense Junio 1661.

JEREMIAS TAYLOR.

Ieremias Taylor, S. Theologiæ Doctor, consecratus Episcopus Dunensis & Connorensis 27 Januarii 1660, Dromorensis etiam Episcopatus administrationem suscepit, Caroli 2 regis concessione, Iunii 21, anno insequenti.

DE

DE
Epiſcopis
CLONMACNOISENSIBUS,

Uſq; ad annum Dom. 1568.

QUO

Epiſcopatus Clonmacnoiſenſis unitus eſt & adjectus Epiſcopatui Midenſi.

SAnctus *Kiaranus*, ſive *Ciaranus* junior, ex Aradenſium familia ortus, ſed *Boetii* al. *Beonandi* fabri lignarii filius, unde & vulgò dictus eſt *Mac-iteir* ſive *filius artificis*, cœnobium condidit Clonmacnoiſæ, priùs *Tipraic* dictæ, in ipſo quaſi Hiberniæ umbilico, ſive meditullio, anno Dom. 548, locum concedente *Dermitio Cervalli* filio, rege Hiberniæ. Huic cœnobio, ſecundùm plurimos, *Kiaranus* unico ſolùm anno, ſecundùm nonnullos verò (perperàm opinor) annis 7 præfuit Abbas, morte ibi ereptus 5 Idus Septembris, anno Salutis per Chriſtum 549, in ipſo ætatis flore, cùm annos vixiſſet ſolùm 33. Hujus cœnobii Eccleſia poſteà, ſed quo tempore me latet, in Eccleſiam cathedralem commutata eſt. Non deſunt quidem qui S. *Kiaranum* Epiſcopum fuiſſe Clonmacnoiſenſem diſertè tradant. Hoc ſi verum, de Eccleſiæ cathedralis initio, non eſt cur ulteriùs diſquiramus. Ut ut fuerit, poſteriora tempora 9 alias eccleſias, in uno quaſi eodémque cœmeterio, duo plùs minùs jugera Hibernica ambitu colligente, ſi ſubjecerunt. Ad occaſum hujus loci, Præſules ædes poſteà Epiſcopales ædificârunt. Eccleſia ipſa cathedralis multis certè olim poſſeſſionibus ditata fuit. Magnatum præterea ac Epiſcoporum ſepulturâ, necnon Monumentis aliquot, & inſcriptionibus, partim Hibernicè partim Hebraicè inciſis, imprimis inſignis. Paulatim attamen decrevit & ad pudendam tandem redacta eſt paupertatem. In Synodo ſuprà memorata, anno 1152, dum Cardi-

nalis Paparo Legati munus in Hibernia obiret, inter ſedes Epiſcopales Provinciæ Tuamenſi ſubjectas, numeratur *Cinani*, quæ poſt longas contentiones, Romæ agitatas, inter Archiepiſcopos Armachanos & Tuamenſes, Provinciæ Armachanæ tandem adjudicata eſt. Hanc ſedem jampridem è nominis affinitate, eandem eſſe exiſtimavi cum Cenanuſenſi ſive Kenliſenſi. Sed dies diem docet: Nunc non poſſum non exiſtimare *Cinani* corruptè ibi legi pro *Cluana*, vulgò Clonmacnoiſa, tum ob vicinitatis rationem, ut quæ à provincia Tuamenſi, Shenano fluvio ſolùm diſterminatur, tum quia in jam dicta Diviſione Epiſcopatuum Hiberniæ, inter ſedes Provinciæ Armachanæ, habetur *Conanas*, quæ eadem ſine dubio eſt cum Cenanuſa. Non enim veriſimile eſt unam eandémque ſedem, in ea ſedium Diſtributione, facta in Synodo, cui tot Præſules Hibernici interfuerunt, fuiſſe bis numeratam, & diverſis Provinciis aſſignatam.

Epiſcoporum hujus ſedis memoria, ante Anglorum tempora, perquàm exigua ſupereſt.

Baitanus dictus Abbas & Epiſcopus Clonmacnoiſenſis obiit 1 Martii 663.

Joſephus de Roſmor obiit 839.

Mældarius obiit 886.

Corpreus curvus obiit 899, 6 Martii.

Colmanus filius *Aililli* obiit anno 924. Hic Baſilicam de Clonmacnois condidiſſe perhibetur.

Cormacus O-Killeen, Abbas Roſcomanenſis & Epiſcopus Clonmacnoiſenſis obiit 964.

Tuathalius obiit 969.

Celecair obiit 1067.

Chriſtianus O-Hectigern obiit 1103.

Domnaldus O-Dubhai obiit 1136.

MORIERTACHUS O-MELIDER.

Moriertachus iſte interfuit Synodo, ſub *Johanne* Cardinale Paparone celebratæ 1152. Obiit admodùm ſenex 1188, aliis 1187. Videtur tamen diù ante obitum reſignâſſe. Nam in ſupplemento Annalium *Tigernaci O-Broin*, ad annum 1172, ita annotatum legimus: *Tigernacus O-Mæl-eoin Comorba Ciarani Clonmacnoiſe quievit.*

TIGERNACUS O-MÆLEOIN.

Tigernacus ille, de quo ſuprà diximus, obiit 1172. Monetam his temporibus Clonmacnoiſæ fuiſſe cuſam, produnt Annales Conatienſes.

MUREACHUS

MUREACHUS O-MURRECHAN.

QUi ſucceſſit, *Mureachus O-Murrechan* vir doctus, vitam cum morte commutavit anno 1213. Hic videtur idem cum eo, quem alii *Muriertacum O-Murry* vocant, & ſepultum aſſerunt Clonmacnoiſæ, ſub monumento, quod illius memoriæ erexerat Slamanus collactaneus ejus.

EDANUS O-MAILY.

E*Danus O-Maily* ſubmerſus eſt anno 1220, ſed ubi, aut quo caſu, non reperi memoratum.

MÆLRONIUS O-MODEIN.

M*Ælronius O-Modein* obiit 1230, cùm præfuiſſet annos 10.

HUGO O-MALONE.

SUcceſſit *Hugo O-Malone*, qui obiit 1236, & in cœnobio B. Mariæ de Kilbegan ſepultus eſt.

THOMAS.

APrilis 18 1236, confirmata eſt à Rege electio facta de *Thoma* Decano Clonmacnoiſenſi, qui poſtea conſecratus annos præfuit 16.

THOMAS O-QUIN.

T*Homas O-Quin*, ordinis Minorum, ab *Henrico* 3 Rege confirmatus eſt, 20 Februarii (ſtylo Anglicano) 1252. Sedit annos 27. Obiit 1279. Vacavit deinde ſedes annos 2.

GILBERTUS.

G*Ilbertus* quidam, hujus Eccleſiæ Decanus, à *Nicholao* Archiepiſcopo Armachano conſecratus 1281, reſignavit anno 1288. Per cujus reſignationem, data eſt à Rege ſucceſſoris eligendi licentia Decano & Capitulo, 8 Julii 1288.

GUILIELMUS O-DUFTY.

G*Vilielmus O-Dufty*, Minorita, poſt biennii vacationem, ſucceſſit. Temporalibus reſtitutus 6 Octobris 1290. Is equo quo vehebatur dejectus interiit 1297.

GUILIELMUS O-FINDAN.

Gvilielmus O-Findan, aliis *O-Mnan*, Abbas cœnobii de Kilbegan, ſucceſſit 1298, & biennio poſteà, è vita migravit. Vacavit deinde Sedes per aliquot annos.

DONALDUS O-BRUIN.

Succeſſit illi *Donaldus O-Bruin*, *Guardianus* Minoritarum *de Killeigh*, qui Epiſcopus electus aſſenſum Regium obtinuit Aprilis 14. 1303, & 24 inſequentis Junii, temporalium accepit reſtitutionem.

LUDOVICUS O-DALY.

Donaldo defuncto, ſucceſſor deſignatus eſt *Ludovicus O-Daly*, qui deceſſit anno 1337.

HENRICUS.

Qui ſucceſſit illi, *Henricus* quidam, ordinis Prædicatorum, obiit circa annum 1367.

RICHARDUS.

Richardus, neſcio cujus Societatis monachus, ſucceſſit.

PHILIPPUS.

Poſt *Richardum* antedictum, *Philippus* quidam huic ſedi præfuit epiſcopus, qui deceſſit 1388.

MILO CORY.

Succeſſor ejus *Milo Cory*, ex ordine Minorum, à *Bonifacio* 9 proviſus 5 Idus Novembris 1390, à *Richardo* 2 Rege, brevi poſteà conſtitutus eſt Conatiæ Juſtitiarius. Præfuit exiguo tempore.

O-GALCHOR.

O-Galchor quidam, qui *Miloni* ſucceſſit, mortem obiit anno Dom, 1397.

PETRUS.

PETRUS.

ANno ſequenti, ſucceſſit *Petrus*, Monachus Ciſtertienſis, Abbas Granardenſis. Obiit anno 1411.

PHILIPPUS O-MÆIL.

ILlum ſequutus eſt *Philippus O-Mæil*, qui deceſſit anno Domini 1422.

DAVID BRENDOGUS.

David Brendogus, Monachus Ciſtertienſis, à *Martino* 5 proviſus eſt 8 Calend. Octobris 1423. Sedes vacavit anno ſequenti, fortè per ejus mortem. Vacavit etiam poſteà, per aliquot annos.

CORMACUS mac-COGHLAN.

CApituli conſenſu, *Cormacus mac-Coghlan*, Eccleſiæ Cathedralis Decanus ſucceſſor electus, conſecratus eſt anno 1427, & obiit 1442.

JOHANNES OLDAIS.

Johannes Oldais, ordinis Minorum, 14 Calendas Octobris 1444, proviſus eſt Epiſcopus.

JOHANNES.

Johannes quidam, Epiſcopus Clonmacnoiſenſis, alius (ut puto) à *Johanne Oldais*, obiit anno 1486.

WALTERUS BLAKE.

Walterus Blakæus, Canonicus Enaghdunenſis, patriâ Galvienſis, defuncto *Johanni*, ab *Innocentio* 8 Pontifice deſignatus eſt ſucceſſor, 7 Calend. Aprilis 1487. A *Sixto* 4, is proviſus fuerat Archiepiſcopus Tuamenſis, ſede nondum vacante. Sed vita *Donati O-Murry* eam donationem reddidit invalidam. Huic ſedi præfuit annos 21. Obiit menſe Maio, 1508.

THOMAS.

Thomas quidam ſucceſſit, de quo præterea, nihil aliud comperi.

QUINTINUS.

Quintinus quidam, ordinis Minorum, hunc Episcopatum obtinuit provisione Pontificiâ 10 Novembris anno 1516. Obiit 1538, cum sedisset annos 22.

RICHARDUS HOGANUS.

Richardus Hoganus, ordinis itidem Minorum, Episcopus Laonensis huc translatus est 1538. ac eodem anno ex hac vita migravit.

FLORENTIUS GERAWAN.

Florentius (al. *Flanus*) *Gerawanus*, ordinis itidem Minorum, à *Paulo* 3 Papa episcopus designatus 5 Decembris 1539, ab *Henrico* 8 Rege, postquam juramentum fidelitatis suscepisset, confirmatus est 23 Septembris 1541. Obiit circa annum 1554.

PETRUS WALL.

Qui successit, *Petrus Wall*, obiit 1568. Tumque Parlamentariâ authoritate, hæc sedes conjuncta est Episcopatui Midensi.

DE

DE Episcopis DUBLINIENSIBUS.

DONATUS.

DE Sanctis *Wirone*, *Rumoldo* & *Sedulio*, deque *Cormaco* quodam, qui sedem Dublinienſem, ante *Donatum*, adminiſtrâſſe dicuntur, apud Hiſtoricos fit mentio. E contra autem, in vetuſtis hujus Eccleſiæ Monumentis, à quibus ægrè diſſentiam, *Donatus* hic (aliis *Dunanus*) primus ejuſdem ſedis Epiſcopus extitiſſe traditur. An primus fuerit necne, non definiam. Sed certò conſtat Oſtmannorum Dublinienſium eum primum fuiſſe Epiſcopum. Ad Eccleſiam Cathedralem S. Trinitatis quod attinet, eam in civitatis meditullio, *Sitricus* filius *Amlavi* rex Oſtmannorum Dublinii & *Donatus* hic Canonicis Secularibus conſtruxerunt, circa annum Salutis 1038. Canonicos autem ſeculares, *Laurentius* Archiepiſcopus Dublinienſis in Canonicos mutavit regulares ordinis Aroacenſis, circa annum Domini 1163. De Eccleſiæ fundatione, ita Liber niger ejuſdem Eccleſiæ. *Sitricus Rex Dublin. filius Ableb Comitis Dublin. dedit. S. Trinitati & Donato primo Epiſcopo Dublin. locum ad ædificandam Eccleſiam S. Trinitatis, ubi fornices ſive voltæ ſunt fundatæ, cum terris ſubſequentibus, viz. Beal-dulek, Rechen, Port-rahern, cum villanis, & vaccis, & bladis; necnon aurum & argentum ſufficienter ad ædificandam Eccleſiam, cum tota curia, contulit.* Extructâ Eccleſiâ, *Donatus* hic, prope eam, Palatium Epiſcopale excitavit, in loco, ubi nunc ſunt ædes Decani. Conſtruxit porrò Capellam S. *Michaelis*, quam, qui illi, poſt aliquot ſecula ſucceſſit, *Richardus Talbotus*, in Eccleſiam erexit parochialem. Obiit tandem *Donatus*, 6 Maii 1074, & in Eccleſia ſua Cathedrali, prope ſummum altare, ſepultus eſt.

PATRICIUS.

GOdredum, sive *Gothricum Crovan regem Manniæ, Dublinium & magnam Lageniæ partem*, circa annum 1070 *subjugâsse* prodit Manniæ Chronicon. Eo petente, *Patricius* quidam, Ostmannus itidem, successor electus à Dublinienſibus, in Angliam missus est, à *Lanfranco* Cantuarienſi Archiepiscopo consecrandus, cum Epistola sequenti, *Venerando S. Cantuarienſis Ecclesiæ Metropolitano*, Lanfranco, *Clerus & populus Ecclesiæ Dublinienſis debitam subjectionem. Vestræ Paternitati est cognitum, quod Ecclesia Dublinienſis, quæ Hiberniæ Insulæ Metropolis est, suo sit viduata Pastore, ac destituta Rectore. Propterea elegimus Presbyterum nomine Patricium nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolicâ & Ecclesiasticâ disciplinâ imbutum, fide catholicum, in scripturarum sensibus cautum in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, quem nobis quantociùs petimus ordinari Episcopum, quatenùs authore Deo, regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine, salubriter militare possimus, quia integritas Præsidentium salus est subditorum, & ubi est incolumitas, ibi est forma Doctrinæ.* Exemplar hujus Epistolæ habetur in antiquo codice Bibliothecæ Cottonianæ, (sub effigie Cleopatræ, E. 1.) olim ad Ecclesiam Cantuarienſem pertinente. Professionis formulam, ex eodem codice, adscribere non pigebit. *Quisquis aliis præsidet, si & ipse aliis subjaceat, dedignari non debet, sed potiùs obedientiam, quam à subjectis suis desiderat habere, propter Deum, studeat prælatis sibi per omnia humiliter exhibere. Propterea* ego Patricius, *ad regendam Dublinam metropolim Hiberniæ electus Antistes, tibi (Reverendissime pater* Lanfrance, *Britanniarum Primas, & Sanctæ Doroberneſis Ecclesiæ Archiepiscope) Professionis meæ chartam porrigo: neque tibi tuisq; successoribus, in omnibus quæ ad Christianam religionem pertinent, obtemperaturum esse promitto.* Literarum exemplaria quas *Lanfrancus, Patricio*, tam ad *Godredum* illum, quàm ad *Tirdelvacum O-Brien* Hiberniæ Regem perferendas dedit, extant in Tomo XI Annalium Cardinalis Baronii. Sedit *Patricius* annos plùs minùs 10, & Octobris 10, 1084, in oceano Britannico naufragio periit.

DONATUS O-HAINGLY.

DOnatus (aliàs *Dongus*) *O-Haingly*, postquàm bonis literis in Hiberniâ, operam aliquandiù navâsset, in Angliam trajecit, & Cantuariæ, monachus factus est Benedictinus. Anno demùm 1085. per supradictum *Lanfrancum* (regis *Terdelvaci*, cleriique Dublinienſis consensu,) Cantuariæ, in ecclesiâ cathedrali, consecratus est, professione sequenti præstitâ; *Ego* Donatus *Dublinensis Ecclesiæ*

Ecclesiæ Antistes, quæ in Hibernia sita est; Canonicam obedientiam tibi promitto, & successoribus tuis, O Lanfranc, sicut a Dunelmensis Ecclesiæ Archiepiscopis. In patriam reversus libros nonnullos, atque Ecclesiastica ornamenta, quæ *Lanfrancus* Ecclesiæ sanctæ Trinitatis Dublinii, dederat, secum reportavit. Obiit anno à Virginis partu, 1095. pestè sublatus.

SAMUEL O-HAINGLY

SUccessit *Samuel O-Haingly*, Monachus itidem Benedictinus & defuncti *Donati* nepos. De eo, sita *Eadmerus* in Historiâ Novorum. Anno 1095. *Venit ad Anselmum* Cantuariensem Archiepiscopum, *quidam Monachus Cœnobii S.* Albani, *natione Hibernicus, nomine* Samuel. *Hic defuncto bonæ memoriæ* Donato, *Dubliniæ civitatis episcopo, à rege Hiberniæ, Murierlach nomine, necnon à clero & populo, in Episcopum illius civitatis electus est, atque ad Anselmum, juxta morem antiquum sacrandus, cum communi decreto directus. Horum electioni & petitioni Anselmus annuens, hominem aliquandiù secum honorificè detentum, necne qualiter in domo Dei conversari deberet, diligenter instructum, sumpta ab eo de canonicâ subjectione suâ, ex antiquo more, professione, promovit in Episcopatus officium,* Wintoniæ, *octava die subsequentis Paschæ, ministrantibus sibi in hoc officio, quatuor Episcopis suffraganeis suis. Qui novus Pontifex, tanti principis benedictione, ac literarum, præfato regi, clero quoque ac plebi Hiberniæ, pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in sedem suam cum honore, pro usu susceptitur terræ.* Non multò pòst, Monachos quosdam (ob quæ crimina non constat) videtur ejecisse, Crucem porrò ante se gestari jussisse, & Ecclesiam suam libris & ornamentis à *Lanfranco* (uti anteà diximus) concessis, spoliâsse: Nam his de rebus extat D. Anselmi ad eum perscripta Epistola, inter ejusdem Anselmi opera, per *Johannem Picardum* anno 1612. edita. Ex hac vitâ migravit 1121. 4. nonas Julii.

DE ARCHIEPISCOPIS Dublinienſibus.

I. GREGORIUS.

Gregorius hic, illicò ut electus eſt, in Angliam trajecit, ut ibi pro more, conſecrationem à Cantuarienſi Archiepiſcopo acciperet, ac præter literas à Rege, in ejus gratiam conſcriptas, à clero civibúſque Dublinien bus, literas commendatitias ſecum detulit. Ordines primos accepit à *Rogero* Sarsburienſi Epiſcopo, 24 Septembris 1121, & 2. inſequentis Octobris, (profeſſione conſuetâ præſtitâ) Lamethæ, à *Rodulpho* Cantuarienſi Archiepiſcopo, in epiſcopum hujus eccleſiæ, conſecratus eſt. Poſt reditum, cùm annos circiter 31. ſedíſſet, (anno ſcilicet Domini 1152.) *Joannes* Paparo Cardinalis, & *Chriſtianus O-Conarchy* Epiſcopus Liſmorenſis, utérq; Legatus Pontificius, Kenanuſæ, ſynodum coegerunt, ubi pallium ei traditum eſt, & Archiepiſcopalis dignitas tum primùm huic

huic cathedræ concella: Sic à pleriſque traditur. Si verò Eccleſiæ hujus Archivis credamus, palli uſum accepit in eccleſiâ ſuâ cathedrali, *in Dominica qua decantatur, Lætare Jeruſalem.* Eodem tempore, Canonicis *innumeris* comulit, *omnibus utriuſque ſexus, viſitantibus ipſam Eccleſiam, per ipſam Dominicam & octavas*, in perpetuum. *Gregorius* noſter deceſſit 1161. Octobris 8. cùm eccleſiæ Dublinienſi præfuiſſet annos 40, & dies 6. Hunc, *Auguſtinus Magratain*, author chronic. Inſulæ omnium SS. (quæ Shenano fl. circumfunditur,) virum appellat prudentem, linguarum peritiâ præſtantem, at perperàm obiiſſe perhibet 1162.

2 LAURENTIUS O-TOOLE.

Laurentius O-Toole (ut compendio dicam quæ fusè tradidit vita ejus author, à *Surio* editus, paucis additis, ab illo prætermiſſis,) filius fuit *Mauritii* (ſive *Moriertachi*) *O Toole*, *Imaliæ* (& fortè aliarum regiuncularum,) *Dynaſtæ*, educationem Glendelacæ ſortitus eſt, ubi cucullum induit; & ætatis 25. ad Abbatis munus, (*Eccleſiæ clero & populo id poſtulantibus*,) evectus eſt. Celebratur tum ejus erga egenos liberalitas, præſertim durante magnâ annonæ caritate, quâ per annos 4. illa regio miſerè fuit afflicta. Electus intereà Epiſcopus Glendelacenſis, electioni de ſe factæ renuntiavit, *ætatem immaturam* (inquit author prædictus) *providè ſapienterque prætexens*. Poſt aliquot annos, *Gregorio* Dublinenſi Archiepiſcopo defuncto ſucceſſor deſignatus, renuit primo, tandem verò aſſiduis precibus victus, manus dedit, ac Dublinii, in eccleſia cathedrali S. Trinitatis, à *Gelaſio* Archiepiſcopo Armachano, conſecratus eſt 1162. Mox Eccleſiæ ſuæ clericos ſeculares, in Canonicos mutavit regulares, ordinis Arroacenſis, quorum habitum & vivendi normam ipſe accepit. Poſt annos plus minus 11. *Laurentius* hic. *Richardus* cognomento *Strongbow* comes Strigulienſis, *Robertus* filius *Stephani*, & *Raimundus Craſſus* Eccleſiam ſanctæ Trinitatis amplificare aggreſſi, chorum & campanile extruxerunt, necnon tres adjecerunt capellas. Anno 1179, Archiepiſcopus Romam profectus eſt, ut concilio intereſſet generali. Ibi legatum Hiberniæ ab *Alexandro* 3. creatum, atq; legatinam illam poteſtatem, poſt reditum exercuiſſe, tradit Auctor vitæ ejus. Cæterùm *Giraldus Barry*, vulgò Cambrenſis, innuere videtur, in Hiberniam illum nunquam rediiſſe, ſed propter privilegia à Pontifice, *contra Regiæ dignitatis honorem, zelo ſuæ gentis, ut ferebatur, impetrata*, in offenſam Regis incidiſſe, ac in Angliâ & Galliâ diù detentum, obiiſſe tandem Augi in Normanniâ, 1180. (ut alii perperàm, 1181.) Novembris 14, & ibidem ſepulturæ traditum. Ejus oſſa aliquot (ipſo inter ſanctos relato, ab *Honorio* 3. 1225.) inde ad Eccleſiam S. Trinitatis Dublinii tranſlata ſunt.

3. JOHANNES COMYN.

Johannes Comynus, natione Anglus, vir doctus, facundus & gravis, *Henrico* 2 Rege satagente, Archiepiscopus Dublinien-sis apud *Evesham*, 6 Septembris 1181, à *Clero* Dublinienſi electus est. Sacerdos deinde factus Velletri, 3 Idus Martii insequentis, 12 Kalend. Aprilis, die Palmarum, teste *Hovedeno*, (Calendarii quoq; ratione suffragante) à *Lucio* 3 Papa, ibidem Archiepiscopus consecratus est. Ibi porrò Bullam impetravit à Pontifice, datam Idibus Aprilis, Indictione 15 1182, in qua, inter alia privilegia sedi Dublinienſi concessa, ita legimus: *Sacrorum quoque Canonum authoritatem sequentes, Statuimus ut nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, absque assensu Dublinienſis Archiepiscopi, si in Episcopatu fuerit in dioceſi Dublinienſi, Conventus celebrare, causas & Eccleſiastica negotia ejusdem dioceſis, nisi per Romanum Pontificem, vel Legatum ejus fuerit eidem injunctum, tractare præsumat.* Exemplar hujus Bullæ habetur in antiquo Regesto Dublinienſis Archiepiscopi, (vocato *Crede mihi*, fol. 80. b.) Atque ex hoc privilegio, initium sumpsit controversia illa, sive acris & diuturna concertatio inter Archiepiscopos Armachanos & Dublinienſes: An Armachanus habuerit jus Primatiæ, Bajulationis Crucis, Appellationum & Visitationum in Provincia Dublinienſi, quæ per aliquot annorum centurias, posteà duravit. *Giraldus Barrius*, vulgò Cambrenſis, qui Archiepiscopum novit. Presbyterum Cardinalem eum tunc Belletri creatum asserit. Cùm verò in chartis Comini quæ etiamnum extant, ac in *Onuphrio* & *Ciaconio*, (qui Cardinalium seriem descripserunt) necnon in ipsa *Lucii* 3 Bulla, suprà memorata, quâ concessit ei Pallium, de hoc titulo altum est silentium, non possum non affirmare hallucinatum fuisse *Giraldum*. Ad Cominum redeo. Is ad sedem suam primùm pervenit mense Septembri 1184. Circa annum deinde 1190, speciosissimam illam Ecclesiam S. *Patricio* dicatam, in australi civitatis Dublinienſis suburbio, veteri parochiali Ecclesiâ ibidem demolitâ, construxit & dotavit. In ea XIII collocavit Præbendarios, qui numerus, posterioribus temporibus, auctus est ad XXII. Chorum ecclesiæ cathedralis S. Trinitatis partim refecit, partim auxit. Cœnobium porrò quod à Gratia Dei nomen habet, (vulgò *Grace-dieu*) in agro Dublinienſi Monialibus condidit & prædiis ditavit. Migravit ab hac luce, Dublinii, 25 Octobris 1212, & ibidem in ecclesia S. Trinitatis, sepultus est, ubi tumulum habet marmoreum, in australi parte chori. De injuriis ei factis, per Hamonen de Valoniis Hiberniæ Justitiarium & alios, consule (si placet) *Rogerum Hovedenum*, in anno 1197. Constat tamen è *Johannis Alani* Dublinienſis diù posteà Archiepiscopi Regesto, Hamonem eum, ut crimen expiaret, Comino tandem dedisse 20 *Carucatas* terræ, *in terra de Ucunil.*

4. HENRICUS

4. HENRICUS LOUNDRES.

ANte finem anni 1212. in Archiepiſcopum electus eſt *Henricus de Loundres*, (i. Londinenſis) Archidiaconus Staffordienſis, & ſub initium anni ſequentis conſecratus. Hiberniæ Juſtitiarius à *Joanne* rege conſtitutus eſt 23 Julii 1213. Quo munere perfunctus eſt, donec 1215. Romam accerſitus, ut concilio intereſſet generali, provinciam tradidit *Galfrido de Mariſcis*, cum titulo Hiberniæ cuſtodis. Poſt biennium, ab *Honorio* 3. Hiberniæ factus eſt Legatus. Tum ſynodum coëgit Dublinii, *in quâ* (verba ſunt Annalium Mon. B. *Mariæ* Dublin.) *multa utilia, de ſtatu Hibernicanæ Eccleſiæ ordinavit.* Statuta ea extant in Regeſto antiquo dicto *Crede mihi*. Anno deinde 1219, *Galfrido* in Angliam revocato, regni adminiſtrationem denuò ſuſcepit; munuſq; ei commiſſum, per quinquennium, fideliter obivit. Eo curante, (ſi non quod alii innuere videntur, illius ſumptibus) arx Regia Dublinii extructa eſt. Eccleſiam collegiatam S. *Patricii*, in cathedralem erexit, *unitam* (inquit *Joannes Alanus*) *cum Eccleſiâ cathedrali S. Trinitatis, in uno ſponſo, ſalvâ alteri Eccleſiæ honoris prærogativâ. Guilielmum* filium *Guidonis* primum ibidem conſtituit Decanum; Et præter vicarios Chorales, Præcentorem porrò, Cancellarium, & Theſaurarium ordinavit, quibus prædia & Rectorias aſſignavit. Eccleſiam ita ſtabilitam, ad Sarisburienſis Eccleſiæ ſtatuta conformandam curavit. Cœnobium ſanctimonialium de Gratia Dei, poſſeſſionibus auxit, & Prioratum de Hampatrick, à loco incommodo, (ubi ante adventum Anglorum, *Sitricus* filius *Murchardi* Canonicis regularibus extruxerat,) ad commodiorem, tranſtulit. Illo præſidente, ſedes Glendelacenſis (anno fermè 600, à morte ſancti Coëmgeni, primi ibidem Epiſcopi) huic cathedræ adjecta eſt & adunata. De unionis cauſis, *Teſtimonium Tuamenſis Archiep.* (*Felicis O-Ruadani*, qui tum vixit) *& ſuffraganeorum ſuorum*, ex hujus eccleſiæ archivis tranſcribere non pigebit. *Dom. Joannes Papiron Legatus Romanæ Eccleſiæ, veniens in Hiberniam, invenit Dublinii, Epiſcopum habitantem, qui tantum intra muros Epiſcopale officium exercebat. Invenit in eadem dioceſi aliam Eccleſiam in montanis, quæ ſimiliter dicebatur civitas, & habebat quendam coepiſcopum. Conſtituit autem idem Legatus, illam optimam civitatem Dublinienſem, Metropolim illius Provinciæ, tradens Pallium Epiſcopo illi, qui tunc regebat illam Eccleſiam Dublinienſem, & conſtituit ut divideretur illa dioceſis, in quâ ambæ erant civitates, ut pars una cederet Metropoli, & pars altera remaneret illi qui erat in montibus, ut firmiter credimus, eâ intentione ut pars illa rediret metropoli, obeunte illo, qui tunc præerat illi eccleſiæ, quod ſtatim feciſſet, niſi detuliſſet inſolentia Hi-*

 bernienſium,

bernienſium, qui tunc habebant poteſtatem in terra illa. Quam intentionem dicti legati, cùm Dom. Henricus *Rex Angliæ à pluribus didicit, et conceſſit illam metropoli, inhærens intentioni & voluntati domini Legati. Similiter Dom.* Joannes *Rex Angliæ (qui nunc eſt) partem eandem* Joanni *anteceſſori iſtius qui præſens eſt conceſſit habendam, auditis magnis viris & in terra vetuſtis ſuper facto & intentione prædicti domini Legati. Prætereà illa ſancta eccleſia quæ eſt in montanis, licèt magnâ reverentiâ haberetur ab antiquis, propter ſanctum Keivinum, qui ibidem vitam duxit Eremiticam, nunc tamen ita deſerta eſt & deſolata per 40 ferè annos, quòd de eccleſia facta eſt ſpelunca latronum, & fovea furum, ita quod plura homicidia committuntur in illa valle, quam in aliquo alio loco Hiberniæ, propter deſertam & vaſtam ſolitudinem.* Conceſſionibus illis (*Hen.* 2. & *Joannis*,) non obſtantibus, conſtat Epiſcopatum Glendelacenſem cathedræ Dublinienſi non fuiſſe conjunctum, ante annum 1214, quo, (ſi non paulò ſe ius) è vivis exceſſit *Guilielmus Piro*, ultimus illius ſedis Epiſcopus. Sed ad Archiepiſcopum redeamus. Sedit annos 15. & ſub initium Julii anno Domini 1228. decedens, in Septentrionali muro eccleſiæ S. Trinitatis, è regione Cœnini, tumulo ligneo conditus fertur. Sed hodiè nullum tumuli ejus veſtigium ſupereſt. De occaſione, unde villanorum incendiarii, (vulgò *Scorch villeine*) agnomine fuerit notatus, Hiberniæ Annales petas, à *Camdeno* editos, in anno 1212.

5. LUCAS.

DEfuncto *Henrico*, *Lucas*, Decanus eccleſiæ S. *Martini* Londini, & Theſaurarius *Garderobæ* Regis, operâ *Huberti de Burgo* Comitis Cantii, cujus Sacellanus fuit, ad hanc ſedem electus, regium obtinuit aſſenſum 13 Decembris 1228. Sed rejecta eſt ea electio à Papa: Nihilominùs iteratâ electione deſignatus, ab ipſo Papa tandem confirmatus eſt, ſed non ante annum 1230. Sedit poſt conſecrationem annos 25 & ampliùs. Exorta eſt interea, inter eccleſias ſuas cathedrales, de electionibus Archiepiſcoporum, (ſede vacante) ingens diſcordia, quam ille ſic compoſuit; ut locus electionis eſſet tantùm in eccleſiâ S. Trinitatis, & ut ibidem conjunctis ſuffragiis, tàm Prior & conventus, quàm Decanus & Capitulum, novum deſignarent Præſulem. Deceſſit 1255, (ut *Pariſius*) Decemb. 13. ſi non, (ut alii habent) 12. cùm per aliquot ante obitum annos, oculis fuiſſet captus. Sepultus eſt in Eccleſiâ ſanctæ Trinitatis, (in cujus ſtructurâ, nonnihil impendiſſe comperi) ſub eodem tumulo, quo prædeceſſor ejus Cominus. Inter illum, & Reinerium Archiepiſcopum Armachanum, de Primatu, magna fuit contentio.

6. FULCO

6. FULCO de SAUNFORD.

POst Lucæ obitum, ab utráq; eccleſiâ, Archiepiſcopus deſignatus eſt *Radulphus de Norwico*, eccleſiæ Patricianæ Canonicus, & Hiberniæ Cancellarius. Is verò ſuorum perfidiâ, (*in Curiâ Romanâ proditus*, teſte Florilego) ſperatâ ſede excidit. Eâ electione rejectâ, *Fulco de Saunford*, Theſaurarius eccleſiæ S. *Pauli* Londini, Julii 30. 1256. Papali bullâ, Archiepiſcopus renuntiatus eſt. Hunc, *Pariſius* (perperàm) *Fulconem Baſſet* appellat. Præfuit annos fermè 15. Deceſſit in mannerio ſuo de Finglas 1271. Maii 6. Corpus ejus, ad eccleſiam S. *Patricii* delatum, ibidem in capellâ beatæ *Mariæ*, (quam ipſe ni fallor fundaverat,) tumulo conditum eſt. Per 7. deinde annos ſedes vacavit.

7. JOANNES de DERLINGTON.

MEnſe proximo inſequenti *Fulconis* mortem, conceſſa eſt à rege eligendi facultas. Tum 4. Cal. Auguſti eligitur à Priore & conventu eccleſiæ ſanctæ Trinitatis, *Guilielmus de la Corner*, regi à ſacris, (qui poſt aliquot annos, Epiſcopus evaſit Sarisburienſis.) A Decano verò & capitulo S. *Patricii*, eodem die, deſignatur *Fromundus le Brun*, Papæ capellanus; Idem (puto) qui tunc temporis Hiberniæ fuit Cancellarius. Cæterùm poſt diuturnam contentionem, à Pontifice rejecta eſt utraq; electio, & Archiepiſcopus declaratus eſt *Joannes Derlingtonus*, Dominicanus, S. Theologiæ Doctor, & *Hen.* 3. tum nuper regi Angliæ à Confeſſionibus. Conſecratus 1279. in cœnobio Walthamenſi, 6 Idus Septemb. (aliis die Dominico proximo poſt feſtum S. *Bartholomæi* Apoſtoli) à *Joanne* Archiepiſcopo Cantuarienſi, aſſiſtentibus *Nicholao* Wintonienſi, *Roberto* Bathonienſi, & Wellenſi, & *Gulielmo* Norwicenſi epiſcopis. Ob eruditionem & prudentiam (ut *Pariſius*) vir fuit multæ authoritatis. Certè ſub *Joanne* 21. *Nicholao* 3, & *Martino* 4. Papis, Quæſtor, ſive *Petri* denariorum, tam in Anglia quàm in Hibernia, factus eſt collector. Deceſſit Londini, 4 Cal. April. anno 1284, conſecrationis 5, morte repentinâ ſubtractus, & in cœnobio Prædicatorum ibidem, ſepultus eſt. De operibus ab illo editis, conſulas Lelandum, vel ex eo, Baleum, centur. 4. cap. 56.

8. JOHANNES de SAUNFORD.

JOhannes de Saunford, Anglus, frater *Fulconis*, (de quo ſuprà) Decanus fuit eccleſiæ D. *Patricii*, quandóq; Hiberniæ Eſcaëtor. Canonicè electus, à rege confirmatus eſt Julii 20 1284. & conſecrationem obtinuit Dublinii, in eccleſiâ ſanctæ Trinitatis 7 Aprilis (die Palmarum) 1286. Magnâ is floruit gratiâ apud

Edwardum 1, per quem factus est Hiberniæ Justitiarius. In patriam revocatus, ad Imperatorem missus est Legatus, unà cum *Antonio* Dunelmensi Episcopo. Legatione illâ feliciter confectâ, quàm primùm in Angliam reversus est, 2. sc. Octobris 1294, *gravi ægritudine correptus*, (inquit Westmonasterienſis) *viam universæ carnis est ingressus*. Cadaver posteà in Hiberniam deportatum, Dublinii in ecclesiâ *Patricianâ*, tumulo fratris conditum est, 20 insequentis Februarii. Vir fuit cùm doctus, tum insigni prudentiâ.

9. GULIELMUS de HOTHUM.

EOdem anno electus est *Thomas de Chadsworth*, Decanus itidem ecclesiæ *Patricianæ*. Ea verò electio, Rege adversante, rejecta est, & 16 Junii 1297. Papa Archiepiscopum, per provisionem designat *Gulielmum de Hothum* (Lelando, Odonem) Dominicanum, & ejusdem ordinis in Anglia Provincialem, eâ tempestate apud ipsum, *Edwardi* 1 Legatum; & ut consecraretur, à quovis, quem eligeret, catholico episcopo, concessit. Natus est in Anglia, sed Parisiis educatus, ubi sacræ Theologiæ Doctor creatus est. *Pitseus* & alii consecratum volunt Romæ, ab ipso Papa 1298, & in reditu obiisse. At Walsinghamus (rectiùs opinor) eodem anno sacratum asserit, Gandavi in Flandria, per *Antonium Beak* Dunelmensem Episcopum. Ubicunq; verò fuerit consecratus, certè eo ipso anno, 3 nempe Calend. Septembris, (ut Lelandus habet) Divioni in Burgundia, mortem obiit. Corpus posteà in Angliam deportatum, Londini, in cœnobio sui ordinis sepultum est. De eo vid. plura apud Caium, de Antiquit. Cantabrig. lib. 1.

10. RICHARDUS de FERINGS.

JAnuarii insequentis 21, eligitur ab ecclesia sanctæ Trinitatis, *Adamus de Balsham*, ejusdem ecclesiæ Prior, Ab ecclesia verò sancti *Patricii*, *Thomas de Chadsworth* Decanus, (de quo suprà) tunc *Banci* regii Justitiarius. Sed rejecta est utraq; electio, & *Richardus de Ferings* Archidiaconus Cantuariensis, à Papa Archiepiscopus designatus, sub medium anni 1299 consecratus est. Is circa pacem conficiendam, inter ecclesias suas cathedrales, multùm desudavit. Compositionis capita habentur in Alani registro. Hæc autem sunt præcipua. Ut Archiepiscopi Dublinienses consecrarentur & inthronisarentur, in ecclesia sanctæ Trinitatis. Ut utraq; ecclesia diceretur cathedralis & Metropolitica. Ut Ecclesia S. Trinitatis, *tanquàm major, matrix & senior, in omnibus juribus ecclesiæ, seu negotiis, præponeretur. Ut Crux, Mitra & Annulus cujuslibet Archiepiscopi ubicunq; obeuntis, deponerentur in ecclesia*

cleſia ſanctæ Trinitatis. Ut corpus cujuſlibet Archiepiſcopi defuncti, alternis vicibus, ſepeliretur in dictis eccleſiis, niſi aliter diſponeret in teſtamento. Hæc anno 1300, *Richardus* hic (quod ſilentio prætereundum non eſt) in eccleſiâ *Patricianâ*, tres Præbendas erexit. Deceſſit 18 Octobris 1306, in reditu à Roma.

11. JOANNES LECH.

DE novi Præſulis electione, denuò exorta eſt contentio; Nam menſe Januario inſequenti, à Priore & conventu eccleſiæ S. Trinitatis, Archiepiſcopus electus eſt *Nicolaus Butlerus* frater *Edmundi Butleri*, poſteà comitis *Carickì*, à Decano verò & capitulo eccleſiæ S. *Patricii*, *Richardus de Havering* ejuſdem eccleſiæ Præcentor, qui à Pontificè itidem proviſus eſt. Is proviſionis prætextu, annos 4, ſine conſecratione fructus recepit Archiepiſcopales. Sed anno 1310, ſomnio quodam (uti ferunt) monitus, ſponte reſignavit. Hac de re, Annales petas Hiberniæ à Camdeno editos, in anno 1306. Eorundem annalium author aſſerit, *Alexandrum Bignorum die S. Patricii* 1310, *unanimi aſſenſu Capitulorum in Archiepiſcopum fuiſſe electum.* Sed *Edw.* 2. gratiâ (electione non obſtante) in Archiepiſcopatu ſucceſſit *Joannes Lechus*, aliàs *de Leeke*, Eleëmoſynarius Regius. De contentione inter eum & *Rolandum Forſium* Archiepiſcopum Armachanum, quòd *Forſius* in Provincia Dublinienſi, Crucem ante ſe geſtari permiſerat Vid. Annal. Hiberniæ à Camdeno editos. Obiit 1313, 10 Auguſti. Weſtmonaſterii ſepultus, in medio Presbyterii, paulò antè Hiberniæ Theſaurarius conſtitutus. Ad ejus petitionem edidit *Clemens* 5 Bullam fundationis *Univerſitatis Scholarium* Dublinii, 3 Id. Julii, Pontificatus anno 7, ſive anno Dom. 1311.

12. ALEXANDER de BICKNOR.

POſt *Joannis de Lechi* obitum, denuò excitata eſt contentio, de novi Archiepiſcopi electione. Siquidem ab una parte eligitur *Walterus Thornbury*, eccleſiæ *Patricianæ* Præcentor, Hiberniæ Cancellarius: ab altera verò *Alexander de Bicknor* (al. *Bignor* de quo ſuprà) Præbendarius de Mainoth, necnon ſummus Hiberniæ tunc temporis Quæſtor, ſive Theſaurarius. *Walterus* illicò ut electus eſt, nave conſcenſâ, in *Galliam*, (ubi Papa tunc degebat) trajicere decrevit; ſed nocte proximâ inſequenti, ortâ tempeſtate; ipſe & 156 alii oceano abſorpti ſunt. Illo ſubmerſo, *Bicknorus* conſpirantibus votis, Archiepiſcopus deſignatus eſt. Ita electus Lugdunum profectus eſt, ubi à *Clemente* 5. (legitimâ eâ electione rejectâ) *propter literarum ſcientiam, nobilitatemque generis*, (inquit *Joannes Alanus*) *ex plenitudine poteſtatis, proviſus eſt.* Avenione poſteà conſecratus, 22 Julii 1317. à

Nicolao de Prato Cardinale Oſtienſi. Bullæ confirmationis lectæ ſunt & publicatæ Dublinii, in eccleſia cathedrali S. Trinitatis, in feſto Purificationis B. *Mariæ* virginis ſequenti. Ad ſedem ſuam, (factus jam Hiberniæ Juſtitiarius) primùm perveniſſe fertur 9 Octobris 1318. quo die, à clero & populo magno plauſu ſuſceptus eſt, & (ni fallor) in throno Archiepiſcopali collocatus. Poſt biennium Academiam Dublinii, in eccleſia S. *Patricii* erexit & *Joannis* 22. authoritate confirmari curavit. Cœptum herclè egregium. Sed facultatibus deficientibus, quibus alumni alerentur, reverà paulatìm defecit. De regulis in Academia obſervandis, vid. Inſtrumenti ejus exemplar, in libro meo, de Antiquitatibus Hibernicis, cap. 15. Anno 1323, ab Angliæ Parlamento, unà cum *Edmundo de Woodſtocke* comite Cantii, *Edwardi* 2 fratre juniore, in Galliam miſſus eſt Legatus; ſed reverſus demùm ſine optato ſucceſſu, ut ex *Thoma Walſinghamo*, in ypodigmate Neuſtriæ, conſtat. Deceſſit 1349. Julii 14. cùm huic ſedi præfuiſſet annos fermè 32. (par cui ibet anteceſſorum, ſive prudentiam ſpectes, ſive eruditionem) & in eccleſiâ (ut opinor) *Patricianâ* ſepultus eſt. Non ita diù ante obitum, magnum habuit certamen, cum *Richardo* filio *Radulphi* Archiepiſcopo Armachano, quòd *Richardus*, regio confiſus diplomate, Dublinii Crucem ante ſe geſtari permiſiſſet. Statuta quæ, in ſynodo ab eo celebratâ edidit, memini me legiſſe in albo libro Eccleſiæ Oſſorienſis. Ædes Archiepiſcopales Taulaghtæ, hic Præſul conſtruxit.

13. JOANNES de S. PAULO.

Joannes de S. Paulo, Canonicus Dublinienſis, per reſervationem Papalem, Archiepiſcopus renuntiatus eſt, 2 Non. Septembris 1349. Is Eccleſiam S. Trinitatis multùm tùm auxit tùm ornavit. Nam totum Presbyterium, ſuis ſumptibus conſtruxit. Inter hunc & *Richardum* filium *Radulphi*, doctiſſimum illum Archiepiſcopum Armachanum, (de quo ſuprà diximus) ingens extitit, de Primatu, contentio, quæ tandem ſub *Innocentio* 6 approbante collegio Cardinalium, hunc habuit exitum. *Ut uterq; eſſet Primus, ſed ad diſtinctè ſcribendum, Archiepiſcopus Armachanus intitularet ſe totius Hiberniæ Primatem; Metropolitanus autem Dublinienſis exararet ſe Hiberniæ Primatem; inſtar in Anglia, Cantuarienſis & Eboracenſis, quorum prior ſcribit ſe totius Angliæ Primatem, alter Angliæ Primatem.* Hæc ſe legiſſe *in Bibliotheca Papæ ſecretiori*, aſſerit (qui illi poſt multos annos ſucceſſit) *Joannes Alanus*, dum res *Gulielmi Warhami* Archiepiſcopi Cantuarienſis, Romæ procuraret. Præfuit hic annos circiter 13. factus intereà ab *Edw.* 3. Hiberniæ Cancellarius. Diem obivit 1362. 9 Septembris, in eccleſia S. Trinitatis, ſub marmore æneis laminis ornato, ſepultus; in ſecundo gradu ante ſummum altare, (ſicut in teſta-

mento

mento suo mandaverat) ubi hæc verba legimus inscripta, *Ego Joannes de S. Paulo, quondam Archiepiscopus Dubliniæ, Credo quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terrâ surrecturus sum, & iterùm circundabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.*

14. THOMAS MINOT.

SUccessit (qui à Papa itidem designatus est) *Thomas Minot*, Præbendarius de Malaghidert & Hiberniæ Thesaurarius, aliquandò etiam Hiberniæ Escaëtor. Consecratus est 1363, die Palmarum, aliis malè Novembris 3. Contentio de Cruce portanda, inter *Thomam* hunc & Milonem Archiepiscopum Armachanum denuò excitata est. Ex hac vita migravit Londini 10 Julii 1375. Partem Ecclesiæ S. *Patricii* incendio fortuito deformatam, is restauravit, & Campanile præcelsum è saxo quadrato construxit, circà annum 1370, unde & in sigillo suo usus est posteà, imagine Pontificali; quæ manu visa est tenere Campanilis effigiem.

15. ROBERTUS de WIKEFORD.

Robertus Wikefordus, Archidiaconus Wintoniensis, Utriusq; Juris Doctor Oxoniensis, & collegii Mertoniensis ibidem socius aliquando, apud *Wickeford-hall* in Essexia natus, à *Gregorio* 9 Pontifice provisus, Avenione, 4 Idus Octobris 1375, & ante exitum ejusdem anni consecratus. Temporalium restitutionem obtinuit, in hebdomada Paschatis insequentis. Hiberniæ fuit Cancellarius annis 1377 & 1385. Obiit 1390, Augusti 29. De eo præterea nihil comperi, nisi quod remiserit & condonaverit ecclesiæ S. Trinitatis, annuam 5 Marcarum solutionem, quam prædecessores *pro procurationibus* receperunt.

16. ROBERTUS WALDBY.

Robertus Waldbaus, Episcopus Adurensis in Vasconia, bullâ Pontificiâ, hûc translatus est, 18 Calend. Decemb. 1391. Natus hic fertur in civitate Eboracensi, educatus verò primùm in Tickellensi cœnobio, ubi (ni fallor, unà cum doctissimo illo viro *Joanne Waldby* fratre suo) habitum suscepit fratris Augustiniani. Deinde *Edwardum* Principem bellicocissimum, (tum Angliæ delicias) in transmarinas oras comitatus, Tholosæ hæsit; *ubi eo excellentiæ demum devenit*, (inquit *Baleus*) *ut literatorum primus haberetur, linguarum peritiâ atque eloquentiâ præstans. Hinc Theologiæ professor Tholosanis fuit, & tam insignis prædicator, ut amplissimæ fortunæ illi obvenerint.* Nam in Episcopum Adurensem

conſecratus, poſt aliquot annos, Dublinium (uti diximus) tranſlatus eſt. Paulò poſteà, *Richardus* 2. Rex Angliæ, eum Hiberniæ Cancellarium conſtituit, eodem ferè tempore, quo *Richardum Metford* Epiſcopum Ciceſtrenſem, ejuſdem regni ordinavit Theſaurarium. *Metfordo* verò Sarisburiam tranſlato 1395, *Robertus* noſter Ciceſtriam eodem anno, ſe transferri curavit. Ibi exiguo præfuit tempore, ſiquidem anno inſequenti, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem provectus eſt. Morte deinde ſublatus 29 Maii, (aliqui habent 29 Januarii) anno 1377, & Weſtmonaſterii in medio fermè capellæ S. *Edmundi*, ſub marmoreo tumulo ſepultus eſt, cum hujuſmodi epitaphio.

Hic fuit expertus in quovis jure Robertus,
De Walby dictus, nunc eſt ſub marmore ſtrictus,
Sacræ Scripturæ Doctor fuit & genituræ
Ingenuus medicus, & plebis ſemper amicus,
Conſultor Regis, optabat proſpera legis.
Eccleſiæ choris fuit unus bis quoq; honoris
Præſul Adurenſis, pòſt Archos Dublinienſis
Hinc Ciceſtrenſis, tandem Primas Eborenſis,
Quarto Calend. Junii, migravit curſibus anni
Septem, Milleni, ter C. nonies quoq; deni,
Vos precor orate, ut ſint ſibi dona beatæ
Cum ſanctis vitæ, requieſcat & hic ſine lite.

Ut è *Thoma Stubbeſio* liquet, cujus hiſtoria Archiepiſcoporum Eboracenſium, extat in Bibliotheca Cottoniana, ſub Imagine Vitellii, E. IV. 5. nam Epitaphium ejus (æreis laminis tumuli ejus partim avulſis) jam mutulum eſt.

17. RICHARDUS NORTHALIS.

Richardus Northalis Epiſcopus Oſſorienſis, ad hanc ſedem tranſlatus eſt 1396. Londini, (propè quam civitatem natum ferunt) Carmelita factus, ob conciones, eruditionem, cæteraſq; animi virtutes, ubiq; celebris evaſit. Hinc Regi *Richardo* 2. innotuit, à quo Oſſorienſis primùm, deinde poſt *Waldbei* tranſlationem, aſſenſu Pontificio, Archiepiſcopus renuntiatus eſt Dublinienſis 17. Quo honore, exiguo tempore potitus, obiit Dublinii 1397, 20 *Julii*.

18. THOMAS CRANLEY.

Thomas Cranley, Anglus, ſacræ Theologiæ Doctor, Academiæ Oxonienſis quandoq; Cancellarius, *Northali* defuncto, à *Richardo* 2. ſufficitur. De conſecrationis tempore, variant ſcriptores. Alii ſacratum volunt 1398. alii (rectiùs) 1397.

1397. Sed in hoc conveniunt, Dublinium primùm appuliſſe 7 Octobris 1398. unà cum *Thoma Holland* tum Duce Surriæ & Hiberniæ *Locum-tenente*. Ab *Henrico* 4. poſteà Hiberniæ conſtitutus eſt Cancellarius, & ab *Henrico* 5. ejuſdem regni Juſtitiarius. *Vir fuit* (ut Lelandus loquitur) *qui non modo ingenio, verùm etiam calamo (utpote bonis inſtructus artibus) plurimùm valuit.* Dum Juſtitiarius eſſet, epiſtolam ad Regem, terſo carmine, perſcripſit, quam *Johannes Lelandus non ſine voluptate, quadam, legit memoriaq; retinuit*, ut ipſe in Libro ſuo de Scriptotibus Britanniæ, ad publicam utilitatem, cùm Deus voluerit, edendo, fatetur. In Angliam trajecit 1417, in exitu Aprilis, & 25. inſequentis Maii, jam octogenarius, (honorum & dierum plenus) Farindonæ, è vivis exceſſit. Corpus ejus Oxoniam delatum, ibidem in novo collegio, (cujus primus fuerat *Guardianus*,) ſepulturæ traditum eſt. *Vir fuit largus, & eleemoſynarius*, (Marleburgenſem audis) *magnus clericus, Doctor ſacræ Theologiæ, egregius prædicator, ſuorum locorum ædificator, pulcher, dapſilis, ſanguineus, proceræ ſtaturæ, Ita ut tempore ſuo ſibi diceretur; Specioſus formâ, præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, præ facundia.* Ob has dotes, Regibus ſub quibus vixit, meritò fuit charus. Dublinii diem obiiſſe, & ſepultum aſſerunt (ſed perperàm) *Baleus, Pitſeus*, alii.

19. RICHARDUS TALBOT.

Richardus Talbotus, nobiliſſimâ ortus proſapiâ, frater fuit illuſtriſſimi illius herois, *Joannis Talboti, Domini de Furnival*, quem *Hen.* 6. titulis Comitis Salopiæ, Waterfordiæ & Wexfordiæ, ob perſpectam in Gallia fidem & virtutem, exornavit. Conſecratus eſt anno 1417. ut ex albo libro eccleſiæ ſanctæ Trinitatis (à *Thoma Fich* ejuſdem Eccleſiæ ſubpriore. qui obiit 1517. conſcripto) conſtat. In eccleſia ſancti *Patricii*, 6. parvos canonicos totidemq; choriſtas inſtituit: quibus poſſeſſiones aſſignavit, unde alerentur, per diviſionem Præbendæ de Swordes, (quæ aurea dicta eſt) Vid. lib. nig. Archiep. Dublin. fol. 154. b. Et in eccleſia S. *Michaelis* (quam è capella, in eccleſiam parochialem erexerat) cantariam fundavit. Sub finem anni 1442. ad regem *Hen.* 6, à Parlamento Hiberniæ miſſus eſt, unà cum *Johanne White* Abbate cœnobii B. *Mariæ* Virginis juxta Dublin. ut ſimul negotia Hibernica procurarent. Annoq; inſequenti, à Decano & Capitulo eccleſiæ Armachanæ electus eſt Archiepiſcopus Armachanus, poſt obitum nempe *Johannis Preni*: Sed eo recuſante, *Johannes Mey* Archiepiſcopatum cum obtinuit. Præfuit annos fermè 32. (*Hen.* 5, & 6. toto eo tempore ab arcanis conſiliis.) Interea bis fuit Hiberniæ Juſtitiarius, & ſemel Cancellarius. Deceſſit 1449. 15 Auguſti. Sub marmore conditus

in ecclesia *Divi Patricii*, imagine ejus æri incisâ ornato. Ibi Epitaphium hujusmodi inscriptum legimus.

Talbot Richardus latet hic sub marmore pressus,
Archi fuit Præsul hujus sedis Reverendæ,
Parvos Canonicos, qui fundavitq; choristas.
Anno milleno, C. quater, quater X. quoq; nono,
Quindeno Augusti mensis mundo valedixit:
Omnipotens Dominus cui propicietur in ævum.

20. MICHAEL TREGURY.

ANte exitum ejusdem anni, Archiepiscopus sacratus est *Michael Tregurius*, patriâ Cornubiensis, & ex Academia Oxoniensi sacræ Theologiæ Doctor. Homo propter doctrinam & prudentiam tam celebris, ut ab *Hen.* 5. Rege Angliæ, Cadomum in Normannia accersitus fuerit 1418. ut regimen susciperet collegii ab illo ibidem tum primùm instituti. Ibi, magna cùm laude, munus ei commissum, cùm prælegendo, tum scribendo, longo tempore administrâsse fertur. Opera ejus à *Baleo* & *Pitseo* recensentur. Anno tandem 1449. defuncto (uti diximus) *Talboto*, ad hanc sedem Provisione Pontificiâ, provectus est, & ab *Henrico* 6, cui fuit à sacris, Temporalibus restitutus 10 Februarii (stylo Anglicano) eodem anno. Refecit hic manerium de Tawlaght, & ibidem grandævus è vitâ migravit 1471. Decembris 21. cùm huic ecclesiæ præfuisset annos plùs minùs 22. Corpus ejus Dublinium delatum, comitantibus clero, civibusq; Dublinensibus, in ecclesia sancti *Patricii*, prope Altare sancti *Stephani*, sepultum est, ubi monumentum videmus speciosum, statuâ ejus affabrè ornatum. Insculpti ibi leguntur hi versiculi, Musis minùs faventibus nati;

Præsul Metropolis Michael hic Dublinensis
Marmore tumbatus, prò me Christum flagitetis.
Et ad caput statuæ, *Jesus est Salvator meus.*

21. JOANNES WALTON.

Joannes Waltonus, Abbas Osneiensis, propè Oxoniam, consecratus est in Anglia, & Pallio ornatus, 1472. Prædia quædam Archiepiscopalia, à *Talboto* & *Tregurio*, partim elocata, partim vendita, ad *Waltoni* petitionem, constitutione Parlimentariâ, sedi restituta comperi, *Edwardi* 4, anno 18. Post sexennium verò, mense nimirùm Maio, vel ut alii habent 14 Junii, 1484, cæcus tum & valetudinarius, Pontificatu se sponte abdicavit, reservato sibi, ad sustentationem, quoad viveret, manerio de Swords.

WALTERUS

22. WALTERUS fitz-SIMONS.

WALTERUS *fitz-Simons*, Juris utriuſque Baccalaureus, Theologus & Philoſophus eruditus, & Eccleſiæ D. *Patricii* Præcentor, à *Sixto* 4, in ſucceſſorem deſignatus eſt 14 Junii 1484, & poſtquàm ob proviſionem Pontificiam, regium condonationis diploma impetrâſſet, 26 inſequentis Septembris, Dublinii conſecratus eſt, in eccleſia S. *Patricii*. Præfuit annos 27, factus intereà Vicarius ſive *Deputatus* (ut loquimur) *Jaſparis* Ducis Bedfordiæ, Hiberniæ *Locum-tenentis*, & poſteà ejuſdem regni Cancellarius. In ſynodo, ab eo Dublinii celebrata, Theologiæ Prælectori, ſalarium aſſignavit, à ſe & ſuffraganeis ſuis, annuatim pendendum. DeceſſitFinglaſſæ, ad 2 à Dublinio lapidem, Maii 14, 1511. unde cadaver ad eccleſiam S. *Patricii* deportatum, in nave ejuſdem eccleſiæ perhonorificè tumulatum eſt. De eo vide plura, in Annalibus noſtris Rerum Hibernicarum, regnantibus *Henrico* ſeptimo & *Henrico* octavo.

23. GULIELMUS ROKEBY.

GUlielmus *Rokeby*, (al. *Rokesby*) Juris Canonici Doctor, patriâ Eboracenſis, per Julium 2. Epiſcopus renuntiatus eſt Midenſis, 1507, eodemq; anno in numerum admiſſus eorum, qui *Hen.* 7. ab arcanis erant conſiliis. Poſteà per eundem Papam ad eccleſiam Dublinienſem tranſlatus eſt 28 Januarii 1511 (vel 1512. ſi initium anni deducas à Calendis Januarii.) In ipſo exitu anni 1515. ab *Henrico* 8, conſtitutus eſt Hiberniæ Cancellarius. Quo munere, quoad vixit, (ni fallor) potitus eſt. Anno 1518. Synodum Provincialem convocavit. Statuta extant in Codice rubro eccleſiæ Oſſorienſis. Obiit 1521. Novembris 29, & in eccleſia ſua cathedrali S. *Patricii*, Dublinii, ſepultus eſt, cor verò in Angliam deportatum in monumento majorum fuit conditum.

24. HUGO INGE.

HUgo *Ingeus*, ſacræ Theologiæ Doctor, *Gulielmo Rokesbæo*, (à Papa deſignatus) bis ſucceſſit, tam hîc nimirùm, quàm anteà in ſede Midenſi. Hunc *Polydorus Virgilius*, *virum* vocat *probum*, *& cum Kildario Comite multis officiis atque familiaritate conjunctum*. Præfuit Archiepiſcopatui annos 6, conſtitutus interim Hiberniæ Cancellarius, id muneris quamdiù vixit, adminiſtravit. Palatium S. Sepulchri ab eo inſtauratum, teſtari videntur inſignia ejus, ſupra oſtium palatii, muro inſerta. Obiit

Dublinii, 1528, Auguſti 3, ex ſudore Anglico, ad S. *Patricii* ſepultus. Vir juris & æqui obſervantiſſimus.

25. JOANNES ALIEN.

Joannes Alanus, Legum Doctor & Theſaurarius eccleſiæ S. *Pauli* Londini, ſucceſſit, Dublinii in Eccleſia S. Trinitatis conſecratus eſt 13 Martii (ſtylo Anglicano) 1528. Educatus eſt Cantabrigiæ, ubi gradum ſuſcepit Magiſtri in Artibus. Deinde à *Gul. Warhamo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, Romam miſſus, ut negotia ſua apud Pontificem procuraret, ibidem novem per annos vixit; creatus intereà Legum Doctor. Poſt reditum, à *Wolſæo* Cardinale, (Archiepiſcopo Eboracenſi) in ſacellanum aſcitus, illius operâ, *Hugoni Ingeo*, tam in Archiepiſcopatu, quàm in Cancellariatu deſignatur ſucceſſor, menſe Septembri 1528, partim ob plurima illi præſtita officia partim in invidiam *Geraldi* comitis Kildariæ, quem Cardinalis, machinationibus & inſidiis neſcio quibus, conatus eſt opprimere. Alano adminiſtro, (inter alios) uſus fuerat *Wolſæus*, *in* 40. *minoris notæ Monaſteriis evertendis: quod negotium, ut nonnulli animadverterunt, tanquàm aurum Theoloſanum, omnibus qui illud attigiſſent, aut pernitiem, aut ſaltem maximas calamitates attuliſſe creditur.* Verba ſunt doctiſſimi nuper Epiſcopi Herefordenſis *Franciſci Godwini* in Hiſtoria ſua *Hen.* 8. Ad Alanum quod attinet, (ut cæteros mittam) quadriennio nondum exacto, per *Henricum* 8. amotus eſt ab officio Cancellarii, & in ejus locum ſuffectus eſt *Georgius Cromerus* Archiepiſcopus Armachanus, idque ad petitionem *Geraldi fitz-Gerald* comitis Kildariæ, qui eodem ferè tempore, conſtitutus eſt Deputatus *Henrici* Ducis Richmondiæ *Locum-tenentis* Hiberniæ: quod occaſionem dedit veteres inter eos inimicitias renovandi. Brevi poſteà, comes in Angliam vocatus, in arcem Londinenſem conjectus eſt, donec de ſuſpicionibus & criminibus objectis, ſe purgaret. Ex Hibernia accerſitus, antequàm diſcederet, mandatum à Rege acceperat, ut talem ſibi in ſucceſſorem eligeret, pro cujus fidelitate, ipſe vellet fidejubere. Quem igitur deſignat? *Thomam* primogenitum ſuum, (ſericatum vulgò cognominant) adoleſcentem vix annos natum 21. Inimici familiæ *Geraldinæ*, (inter quos unus uti diximus perhibetur Alanus) jam fraude rem agunt: falſos ſpargunt rumores, comitem in Anglia ſecuri percuſſum, & ſimile malum, *Thomæ*, fratribus & patruis impendere. Temerarius adoleſcens hiſce figmentis, ſe paſſus decipi, (gladio & imperii inſignibus *Cromero* Cancellario reſignatis) in apertam rebellionem prorumpit, & tumultuariâ militum manu contractâ, Dublinium obſidet, regionemq; adjacentem ferro flammáq; devaſtat. Hiſce turbis perterritus Archiepiſcopus, in Angliam profugere intendens, naviculam (prope portam quam *Dames gate* appellant) conſcendit; ſed ſive ventis adverſantibus, ſive nautarum

tarum incuriâ, in littus rejectus est prope Clantarfam, unde Tartainam, (villam non ita multùm distantem) progressus, ibi aliquandiù delitescere decrevit, quod cùm *Thomæ* (jam rebelli) innotuerit, postero die paulò ante lucem, illùc pervenit, patruis suis, & servorum nescio quâ catervâ stipatus. Tum nullâ morâ interpositâ, *Joannes Teeling*, & *Nicholaus Wafer*, ut Alanum deducerent, mittuntur. Hi in domum irrumpentes, senem è lecto violenter abripiunt, & seminudum, ad herum ducunt, quem Alanus, (flexis genibus) ut vitæ parceret, iterùm atque iterùm obsecrat. Sed cùm frustrà juvenis temerarii animum ad misericordiam flectere desudasset, ad divinas se convertit meditationes, & dum in genua ad Deum fundens preces, procumberet, in conspectu adversarii, cerebro dispersò nefariè fuit cæsus. Hoc scelus perpetratum est Julii 28 1534, ætatis suæ 58. At divina vindicta non diù defuit; Nam extinctâ hujus rebellionis flammâ, *Thomas* Londinum missus, 2 Feb. 1536, securi percussus est, & patrui ejus 5 (ut de cæteris taceam variis absumptis cladibus) ad Tiburnam suspensi, semivivi dimissi, & membratim fuerunt dissecti. Cæterùm ab *Edw.6.* (quod obiter adnoto) *Geraldus* ejusdem *Thomæ* frater, possessionibus primariis; & à *Maria* posteà pristino honori restitutus est. Sed ad Alanum redeamus. Vir fuit ingenio turbido, verùm in mensa hospitalis, doctus præterea & Antiquitatum assiduus investigator prout ex Regestis Ecclesiæ suæ constat.

26. GEORGIUS BROWNE.

GEorgius *Brownus*, frater Augustinianus Londinensis, & ejusdem ordinis in Anglia Provincialis, per *Hen.8.* ad hunc Archiepiscopatum evectus, à *Thoma* Cantuariensi Archiepiscopo, assistentibus *Joanne Roffensi* & *Nicholao* Sarisburiensi Episcopis consecratus est 19 Martii (stylo Anglicano) 1535. Is Chartam impetravit ab *Edwardo 6.* datam 20 Octobris 1551, ut ipse & successores sui totius Hiberniæ essent Primates, quæ ipso vivente, *Mariæ* Reginæ mandato, rescissa est. Et *Georgius Dowdall* Archiepiscopus Armachanus, qui regnante *Edwardo 6.* in exilio vixerat, tunc revocatus, Archiepiscopatum, & titulum eidem annexum, quasi postliminiò repetiit. Hujus tempore (anno scilicet 1541.) *Hen. 8. Priorem & conventum ecclesiæ cathedralis sanctæ Trinitatis Dublin. in Decanum & capitulum*, uti verba sunt chartæ) *transposuit & mutavit*. Nova illa fundatio constabat ex Decano, Præcentore, Cancellario, Thesaurario, & 6. vicariis choralibus; *Roberto Castell*, aliàs *Painswick* ultimo Priore, primo facto Decano. His pristinas confirmavit possessiones & immunitates. Adjecit posteà *Edwardus 6*, Presbyteros 6, & 2. pueros, (quos choristas vulgò appellamus) quibus, (*Durante Beneplacito*)

annuam è fisco assignavit pensionem 45. librarum 6. sol. 8. den. monetæ Anglicæ. Illam pensionem confirmavit & in perpetuum concessit Regina *Maria*. Fundationem ita auctam, aliqua ex parte mutavit nuper serenissimus Rex *Jacobus*: ita ut hodie in hac ecclesiâ sunt Decanus, Præcentor, Cancellarius, Thesaurarius, & 3. Præbendarii, præter 6. vicarios chorales & 4. pueros choristas. Ordinavit etiam *quòd Archidiaconus Dublinienſis, haberet ſtallum in choro, & vocem & locum in capitulo, in omnibus capitularibus actibus, in dicta eccleſia*. Sed ad reliqua pergamus. Cathedralis, (S. *Patricii*) ecclesia, eo sedente, per annos fermè 8, suppressa est. Eam verò *Maria* Regina pristinæ restituit dignitati, sub exitum anni 1554. Circa idem tempus *Georgius Brownus* (quòd conjugatus esset) per *Dowdallum* Archiepiscopum Armachanum & alios delegatos exauthoratus est. Custodia deinde Temporalium (sede vacante) commissa est *Thomæ Lockwoodo* Decano ecclesiæ S. Trinitatis Dublinii.

27. HUGO CURWIN.

DEprivato *Georgio*, substitutus est *Hugo Corren*, aliàs *Curwin*, patriâ Westmorlandiensis, Legum Doctor, Archidiaconus Oxoniensis, & Decanus Herefordensis, qui Londini, in ecclesia D. *Pauli*, unà cum *Jacobo Turbervillo* Exoniensi & *Guilielmo Glinno* Bangorensi episcopis consecrationem obtinuit, 8 Septembris 1555, & 5 pòst die, à *Maria* Regina, cui fuit à sacris, Hiberniæ Cancellarius Grenovici designatus. Ad sedem suam pervenit, mense Octobri insequenti, cui cùm annos 12. præfuisset, (constitutus interim ad tempus, unus Hiberniæ Justitiariorum) ingravescente senectute, Oxoniam se transferri curavit, ac post unicum annum in illa sede exactum, mortem obiit Swinbrochiæ prope Burfordiam, & ibidem in Ecclesia parochiali sepulturæ est traditus, 1 Novembris Anno Dom. 1568.

28. ADAMUS LOFTUS.

Adamus Loftus, Swinsheadæ in comitatu Eboracensi natus, à *Thoma* comite Sussexiæ, Hiberniæ Prorege, in Sacellanum ascitus, quemadmodum & posteà ab ipsa Regina *Elizabetha*, *Dowdallo* successor designatus in ecclesia Armachana, ab *Hugone* Dublinienſi Archiepiscopo consecratus est, sub exitum anni 1562, atque inde Dublinium translatus Augusti 8. 1567. cùm paulò antè, Cantabrigiæ, ubi fuerat educatus, sacræ Theologiæ Doctoris gradum (unà cum *Joanne Whitgift* posteà Cantuariensi Archiepiscopo & aliis) consecutus esset. Decessit Dublinii, in Palatio S. Sepulchri, senectute gravis, Aprilis 5. 1605, in Ecclesia *Divi Patricii* sepultus, exactis in hac sede annis 37. & mensibus.

mensibus fermè 8. Annis verò à consecratione 42. De eo, vide plura, inter Armachanos.

29. THOMAS JONES.

THomas *Jones*, patriâ Lancastriensis, Artium magister ex Academia Cantabrigiensi, (in Collegio Christi ibidem educatus) ac è Dublinensi Academia, sacræ Theologiæ Doctor, Cancellarius primùm, deinde Decanus ecclesiæ S. *Patricii* Dublin. in Episcopum Midensem consecratus est, in eadem ecclesia 12 Maii 1584, mense insequenti in numerum eorum ascitus qui Reginæ *Elizabethæ* ab arcanis erant consiliis. Huc demùm translatus est 8 Novemb. 1605. Eodemq; tempore à Rege *Jacobo*, Hiberniæ factus Cancellarius, munus illud quoad vixit, administravit. Ex hac vita migravit, (in Palatio S. Sepulchri) 10 Aprilis 1619. cùm annos hîc præfuisset 13. menses 5. dieſque duos. Bis interea factus unus Hiberniæ Justitiariorum. Paucis post obitum horis, Custodia magni sigilli, Primario *Banci* Regii Justitiario, Primario Baronis Scaccarii, & Rotulorum Præfecto sive (ut loquimur) Magistro, commissa est. Sepultus jacet in ecclesia *Divi Patricii*, prope monumentum illius memoriæ ab herede extructum.

30. LANCELOTUS BULKELEY.

LAncelotus *Bulkeley*, sacræ Theologiæ Doctor Dublinensis, nobili ortus familiâ, in Mona sive Anglesei, educationem habuit Oxoniæ, in Collegio quod ab æneo naso nomen habet, (ubi gradum suscepit Magistri in Artibus)* Ex Archidiacono Dublinensi fit Dublinensis Archiepiscopus, consecratus Pontanæ, (in ecclesia S. *Petri*) 3 Octobris 1619, à *Christophoro* Armachano Archiepiscopo, assistentibus *Thoma* Kilmorensi & *Theophilo* Dromorensi Episcopis. A *Jacobo* Rege, paulò pòst, Consiliariis in Hibernia annumeratus est. Mortem obiit Taulaghtæ, ob miserias illorum temporum, mœrore confectus, annos natus 82, Septembris 8 1650. Unde corpus Dublinium deportatum, ibi in ecclesia S. *Patricii*, sepultum est.

31. JACOBUS MARGETSON.

VAcavit hæc sedes post obitum *Bulklæi*, annos plusquàm 10. Sed *Carolus* 2, rex noster Serenissimus, post fœdam eam tyrannidis tempestatem, regnis suis feliciter redditus, Archiepiscopum designavit *Jacobum Margetsonum*, S. Theologiæ Doctorem, in Collegio, quod S. *Petri* Domus vocatur, Cantabrigiæ educatum, & ecclesiæ S. Trinitatis Dublinii Decanum, qui Dub-

linii, in ecclesia S. *Patricii*, Januarii 27 (stylo Anglicano) 1660, consecratus est, paulo antè, primo nempe ejusdem mensis in honoratissimum illorum cœtum adscitus, qui Regi nostro sunt ab arcanis consiliis, ac sub initium Septembris 1663, Armacham translatus.

32. MICHAEL BOYLE.

MIchael *Boyleus*, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Clonenſis, *Richardi Boylei* filius, Tuamenſis nuper Archiepiſcopi, conſecratus eſt Corcagienſis, Clonenſis & Roſſenſis epiſcopus, Dublinii in eccleſia S. *Patricii*, Januarii 27 (ſtylo Anglicano) 1660, paulò antè in numerum Conſiliariorum regiorum cooptatus. Poſteà *Caroli* 2. Regis prudentiſſimo judicio, dignus habitus eſt, qui Archiepiſcopatui Dublinienſi præficeretur, ad eum tranſlatus eſt, menſe Decembri 1663. Palatium Archiepiſcopale S. Sepulchri is plurimùm refecit & ornavit.

DE

DE Episcopis DARENSIBUS.

S. CONLÆTHUS.

SAnctus *Conlæthus*, quibusdam *Conlaidus*, aliis *Conlianus*, primus perhibetur Darensis Episcopus, & Ecclesiæ cathedralis, à S. *Brigida* (cui dicata est) adjutus, fundator. In ejusdem *Brigidæ* vita, à Cogitoso descripta, is *Archiepiscopus* & *Summus Pontifex* appellatur. Ultimum diem clausit 3 Maii anno 519, & Kildaræ, (quæ *Cellam Roboris* sonat) in Ecclesia sua, prope summum altare, sepultus est. Ejus verò ossa, 281 pòst anno, *viz.* anno Dom. 800, in capsulam argenteam deauratam gemmisque ornatam fuerunt translata. Liber rubeus Comitis Kildariæ, (quo nixus fundamento, nescio) Lonium quendam primum fuisse loci Episcopum tradit, Ivorium ei successisse, & Ivorio, *Conlium*, sive *Conlæthum*: Et ex eodem libro, idem habet *Richardus Staniburstus*, in Anglica sua Hiberniæ Descriptione, quæ in edito *Hollinshedo* extat: sed utérq; perperàm opinor. Multo probabilius est *Conlæthum* omnium primum ibi sedem Episcopalem fixisse: id quod ita firmat Scriptor antiquus vitæ S. *Brigidæ*, lib. 2. cap. 12. *Conlianus Episcopus Sanctus & Propheta Domini, qui habebat Cellam, in australi parte campi Liffi, venit in curru, ad S. Brigidam, & moratus est apud eam. Quem B. Brigida Episcopum elegit in sua civitate Kildara.* Et in alio scriptore vitæ S. *Brigidæ*, à *Colgano* edito, (lib. 2. cap. 19.) *Conlianus* disertè *primus* appellatur episcopus Kildarensis.

S. ÆDUS.

QUi primus occurrit post *Conlæthum* Episcopus Darensis, est S. *Ædus*, cognomento *Dubh*, id est niger, *ex rege Lageniæ*, (ut habet *Colganus*) *Monachus, Abbas & Episcopus Kildarienſis. Obiit* 10 *Maii* 638.

Mældoborconus obiit 708, aliis 704. 19 Febr.

Tola obiit 3 Mar. 732.

Lomtuilæus obiit 785, al. 782.

Snedbranus obiit eodem anno.

Tuadcarus obiit 833.

Orthanacus decessit 840.

Ædgenius *cognomento Brito, Kildarienſis, Scriba, Episcopus & Anachoreta obiit ætatis ſuæ* anno 116, *Christi*, 862, 18 *Decembris*. Sic *Colganus*.

Moengal obiit 870.

Robertacus mac-Naserda obiit 15 Jan. 874.

Laſran mac-Moctigern obiit eodem anno.

Suibneus O-Fianacta obiit 880.

Scandalus obiit 884.

Largiſius in prælio occisus à Danis Dublinienſibus anno 885.

Crunmoelius obiit 929, 11 Decembris.

Mælfinanus defunctus est 949, vel 950.

Amueaidus obiit 981.

Murechadus obiit 985.

Mæl-Martinus obiit 1028.

Mæl-Brigidus, al. *Brigidianus* obiit 1042.

Finius filius *Guſſani* obiit *Achonriæ* 1085.

Brigidianus O Brolcan dictus *Lagenienſium* episcopus obiit 1097.

Aidus O-Heremon decessit 1100.

Ferdomnachus obiit 1102, dictus *Lagenienſium* episcopus, Præfuit anno 1096, & post abdicationem, sedem relictam repetiit.

Mac-Dongail obiit 1108.

O-Dubhinus obiit 1148.

Finanus (*mac-Tiarcain*) *O-Gorman*, Abbas cœnobii de viridi ligno successit. Obiit Killeighæ 1160, & ibidem sepultus est.

MALACHIAS O-BIRNE.

Malachias O-Birn aliàs *O-Brin* successit. De eo fit mentio in vitâ *Laurentii* Dublinienſis Archiepiſopi, à *Surio* editâ. E vivis excessit 1176, Januarii primo.

NEHEMIAS.

NEHEMIAS.

Nehemias in Episcopum promotus est Anno 1177. Præfuit annos circiter 18.

CORNELIUS mac-GELANIUS.

Cornelius mac-Gelanius ecclesiæ primùm Cloncurrensis Rector, deinde Archidiaconus Darensis, in Episcopum legitimè electus, consecratus est 1206, & anno 1222, è vita migravit.

RADULPHUS de BRISTOLL.

Radulphus de Bristoll, *Bristoliæ* (ut opinor) in Anglia natus, primus Thesaurarius Ecclesiæ sancti *Patricii* Dublin. anno 1223 consecratus est. Extat Cantabrigiæ, in Bibliotheca S. Trinitatis, *Guil. Malmesbur.* lib. de Glaston. ecclesiæ Antiquitate, in quo is nominatur inter eos qui cœnobio Glastonienſi indulgentiarum dies concesserunt. In Ecclesiæ suæ reparatione & ornatu non parvam impendit pecuniam. Decessit sub initium anni 1232. Scripsit is vitam *Laurentii* Dublinensis Archiepiscopi.

JOANNES de TAUNTON.

Successor ejus *Joannes de Taunton* ecclesiæ D. *Patricii* Dublinensis Canonicus, annos præfuit 25, obiit 1258, sub initium æstatis, & in ecclesia sua sepultus est.

SIMON de KILKENNY.

Simon Kilkennensis, ita cognominatus, quòd Kilkenniæ natus, Ecclesiæ Darensis Canonicus, in Episcopum electus, assensum regium obtinuit 21 Octobris 1258. Decessit Kildariæ 1272. ineunte Aprili. Per aliquot deinde annos sedes vacavit.

NICHOLAUS CUSACK.

Defuncto *Simone*, ab una parte Capituli, episcopus eligitur *Stephanus* Decanus Darensis, ab altera parte *Guilielmus* ejusdem ecclesiæ Thesaurarius. De hac re, diuturna fuit postea contentio Romæ. Cæterùm cassatâ tandem utraq; electione, per *Nicolaum* 2 Papam, episcopus renuntiatus est 5 Cal. Decembris 1279. *Nicholaus Cusack* ordinis Minorum, patriâ Midensis, qui mortem obiit 1299. mense Septembri, cùm sedisset annos plùs minùs 20, & in ecclesia sua sepultus est.

WALTERIUS le VEELE.

IAnuarii insequentis 5. *Edwardus* I. electionem *Walteri le Veele* Cancellarii Darensis confirmavit. Is (Dublinii in ecclesia S. *Patricii* consecratus anno 1300.) præfuit annos plusquàm 32. Decessit mense Novembri 1332. & in ecclesia sua dicitur sepultus. Eo sedente (anno nimirùm 1310.) Parlamentum Kildariæ habitum est.

RICHARDUS HULOT.

PEr sesquiannum tum sedes vacavit, Aprilis deinde 26. anno 1334. *Richardus Hulot*, (aliàs *Houlot*) Canonicus primùm, deinde Archidiaconus Darensis in Episcopum electus, temporalium restitutionem obtinuit. Ab hac luce migravit 24 Junii 1352. consecrationis 19.

THOMAS GIFFARDI.

THomas *Giffardi*, ecclesiæ Darensis Cancellarius, à Decano & Capitulo electus, consecratus est anno 1353. aliis 1355. obiit 25 Septembris, 1365. & Kildariæ in ecclesia cathedrali sanctæ *Brigidæ* sepultus est. Tum sedes per integrum annum & ampliùs vacavit.

ROBERTUS de ARETON.

RObertus *de Aketon* ordinis fratrum Eremitarum S. *Augustini*, episcopus Dunensis (à Priore & monachis illius ecclesiæ) electus est 18 Nov. 1365. Sed eâ electione à Papa cassatâ, hanc sedem anno sequenti obtinuit. Præfuit usq; ad an. 1367. Sed quàm diù postea, mihi incompertum.

GEORGIUS.

GEorgius quidam successisse perhibetur, & obiisse anno 1401.

HENRICUS de WESSENBERCH.

HEnricum *de Wessenberch*, ord. Minorum, ad hanc sedem promotum à Papa, 4 Id. Decemb. 1401. per mortem *Georgii*, asserit *Lucas Waddingus*, Tom. 5. Annalium Minorum. De quo prætereà nihil comperi.

THOMAS.

THOMAS.

Thomas (qui ſucceſſit) obiit anno 1405.

JOANNES MADOCK.

SUccessor ejus *Joannes Madock*, Archidiaconus Darenſis, Oxonienſis Academiæ alumnus deceſſit 1431. *Baleus* mentionem facit cujuſdam *Gulielmi* Quaplodi Carmelitæ, quem his temporibus Epiſcopum Darenſem vixiſſe tradit. At hallucinatum conſtat. Nam Quaplodus epiſcopus fuit Derenſis (in Ultonia) non Darenſis, ut è Lelando liquet.

GULIELMUS.

SUccessor ei deſignatus eſt ab *Eugenio* 4. *Gulielmus* Archidiaconus Darenſis, qui cùm annos 14. præfuiſſet, obiit 1446. menſe Aprili.

GALFRIDUS HEREFORD.

Galfridus Hereford, Dominicanus, ab eodem *Eugenio* (rogante *Hen.* 6.) proviſus, conſecrationem obtinuit ſub feſtum Paſchatis 1449. ſedit annos plus minus 15, & in eccleſia ſua tumulatus eſt.

RICHARDUS LANG.

Richardus Lang ſucceſſit, vir ſpectatæ gravitatis & prudentiæ. Quomodo Archiepiſcopus Armachanus electus, ſperatâ ſede exciderit, vide ſuprà inter Armachanos. Mortem obiit 1474.

DAVID.

EOdem anno ſucceſſit *David* quidam, qui obiiſſe videtur, antequàm Epiſcopatum deguſtâſſet.

JACOBUS WALE.

Jacobus Wale, S. Theol. Doctor, ord. Minorum, creatus dicitur epiſcopus Darenſis nonis Aprilis 1475. per obitum *Davidis*. Obiit 28. Apr. 1494, ſepultus Londini in eccleſia fratrum Minorum, cùm diu ante obitum reſignâſſet.

GUILIELMUS BARRET.

SUccessit ei *Barettus* quidam idem, opinor cum *Guilielmo* illo, dicto Darensi episcopo, qui an. 1493, vicarius fuit episcopi Claromontani in Gallia.

EDMUNDUS LANE.

Edmundus Lane qui successit, obiit sub exitum anni 1592, & in ecclesia sua sepultus est. Collegium is excitavit Kildariæ, quo Decanus & Capitulum *collegialiter* viverent. In Regesto *Johannis Alani* Archiepiscopi Dublinensis traditum reperi eum huic sedi præfuisse annos 40 & ampliùs. Unde constat, *Walenum* & *Barettum* diù Episcopos vixisse, sine Episcopatu.

THOMAS DILLON.

Thomas Dillon, patriâ Midensis, mortem obiit anno 1531, cùm sedisset annos plùs minùs 8.

WALTERUS WELLESLEY.

Walterus Wellesley, (vulgò *Wesley*) Prior Canonicorum coenobii Connallensis in agro Kildariensi, quandoq; Rotalorum Magister, à *Clemente* 7 Papa, rogante *Henr.* 8. hunc Episcopatum obtinuit, & Temporalibus restitutus est 23 Septembris 1531. Prioratum porrò, quoad vixit, per dispensationem retinuit. Decessit 1539, & in cœnobio suo jacet sepultus.

GUILIELMUS MIAGH.

DEfuncto *Wellesæo*, *Donaldus O-Beachan*, ordinis Minorum, provisione Pontificiâ, declaratus est Episcopus, 16 Julii 1540, sed post pauculos dies, vitam terminavit. Novembris deinde insequentis 15, simili provisione, electus est *Thaddæus Reynoldus*, Juris utriusq; Doctor. Sed eâ electione à Rege rejectâ, ad hanc sedem promotus est *Guilielmus Miagh*, factus deinde *Henrico* 8 ab arcanis in Hibernia consiliis. Obiit 15 Decembris 1548. Vacavit postea sedes annum unum & menses 7.

THOMAS LANCASTER.

Thomas Lancaster, Dublinii consecratus est 1550. mense Julio, per *Georgium* Dublinensem Archiepiscopum. Et 3 insequentis Septembris, facultatem impetravit Decanatum Kilkennensem simul

simul cum hoc Episcopatu retinendi. Anno verò 1554. per Dowdallum Armachanum Archiepiscopum, Leverusum (qui illi successit) & alios delegatos, sede exturbatus est, quòd conjugatus esset.

THOMAS LEVERUSIUS.

ILli, à *Maria* Regina designatus est successor 1 Martii (stylo Anglicano) 1554. *Thomas Leverusius*, patriâ Kildariensis, Decanus ecclesiæ S. *Patricii* Dublinii, tum nuper restitutæ. Sed per Papalem Bullam non fuit confirmatus ante 3 Augusti 1555. Is verò mense Januario 1559. tam Episcopatu, quàm Decanatu, (nam utrumque simul tenuit per dispensationem) exutus est, quòd juramentum, de Primatu Regio, suscipere recusaret, & circa idem tempus, similiter actum cum *Guilielmo Walshæo* episcopo Midensi. *Leverusius* deinde scholæ moderationem Limerici, ad tempus suscepit, unde victum sibi comparavit. Sed *Walshæus* in carcerem conjectus, ibi diù vinctus jacuit, donec tandem in exilium pulsus est. Decessit *Leverusius* octogenarius, Naasæ, circa annum 1577, & ibidem in ecclesia parochiali S. *Davidis* sepultus est.

ALEXANDER CRAIK.

SUccessit *Alexander Craik*, Theologiæ Baccalaureus, ab *Hugone* Dublin. Archiepiscopo consecratus sub exitum Augusti 1560. Is, Decanatu S. *Patricii* Dublin. & Episcopatu Darensi, (quos simul retinuit) non contentus, Mansiones & prædia fermè omnia Episcopalia, cum Patricio Sarsfeldio permutavit, pro decimis quibusdam parvi valoris. Hâc permutatione, antiquissima sedes Darensis ad pudendam redacta est paupertatem. Cùm triennium duntaxat & aliquot menses sedisset, morte sublatus est anno 1564, & Dublinii in ecclesia S. *Patricii* sepultus est.

ROBERTUS DALY.

ILlum sequutus est *Robertus Daly*, Præbendarius Clonmethanensis. Parisiis educatus, consecratus mense Maio 1564, in eorum cœtum posteà ascitus, qui *Elizabethæ* Reginæ ab arcanis erant in Hibernia consiliis. Sedit plusquàm annos 18. ter interim per rebelles, quasi nudus è domo sua ejectus, & bonis spoliatus. Decessit in hyeme, 1582.

DANIEL NEYLAN.

Daniel Neylanus, Rector de Iniſcatty in dioceſi Laonenſi, ab *Adamo* Dublinienſi Archiepiſcopo, conſecratus eſt menſe Novembri 1583. Obiit apud Diſert, 18 Maii Anno 1603, cùm præfuiſſet annos 19, & 6 menſes.

GULIELMUS PILSWORTH.

Gulielmus Pilſworth, in civitate Londinenſi natus, Prebendarius de Monahannoc, educationem Oxoniæ ſortitus, in Collegio Magdalenenſi, Epiſcopus Darenſis 11 Septembr. 1604. *Balſoona* in comitatu Midenſi, (propter peſtem tunc Dublinii graſſantem) conſecratus eſt. Obiit Naaſæ, 9 Maii 1635, annos natus 84, & Dunfertæ, in agro Kildarienſi ſepultus eſt.

ROBERTUS USSERIUS.

Robertus Uſſerius, S. Theol. Doctor ex Academiâ Dublinienſi, Archidiaconus Midenſis ſucceſſit, conſecratus Dublinii, in eccleſiâ D. *Patricii* 25. Februarii 1635. Deceſſit in Anglia, apud *Panty-birſley*, in agro Salopienſi, menſe Septembri, 1642. Filius is fuit *Henrici Uſſerii* Armachani olim Archiepiſcopi.

GULIELMUS GOLBOURN.

Gulielmus Golbourn, patriâ Ceſtrienſis, S. Theologiæ Baccalaureus ex Academia Dublinienſi, Archidiaconus Darenſis, conſecratus itidem Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, Decembris 1. 1644. Obiit Dublinii ex peſte, an. 1650. ibique in eccleſia S. *Nicholai* intra muros jacet ſepultus.

THOMAS PRICE.

Thomas Price, S. Theologiæ Baccalaureus, ſucceſſit, poſt diuturnam ſedis vacationem, conſecratus Dublinii, in Eccleſia S. Trinitatis, 10 Martii (ſtylo Anglicano) 1660.

DE

DE Epiſcopis FERNENSIBUS.

S. EDANUS.

SAnctus S. *Edanus* (vulgò S. *Moedocus* & *Moeg*) Sednæ filius, regiâ ortus proſapia, in loco Iniſbreagmuig appellato: dum adoleſcens eſſet, familiaritatem cum ſancto *Laſeriano* in cœnobio Deveniſhenſi contraxit, poſteà patriam deſerens in *Walliam* trajecit, ad ſanctum *Davidem Menevenſem* Epiſcopum, quocum diù vixit, ab eo interim diligentèr inſtitutus. In Hiberniam tandem, *Davidis* juſſu & benedictione, reverſus, poſt aliquot annos, mandato *Brandubi* Regis Lageniæ, qui *Fernam* urbem ei conceſſit, epiſcopus, vel, (ſecundùm Biographos noſtros) Archiepiſcopus conſecratus eſt, circa annum Dom. 598. Qua de re, ſic antiquus vitæ ejuſdem *Edani* ſcriptor: *Magna civitas, in honore S. Moedog ibi crevit, quæ vocatur Ferna. Deinde factâ Synodo magnâ, in terra Lagenienſium, decrevit rex Brandubh, & tam laici quàm clerici, ut Archiepiſcopatus omnium Lagenenſium ſemper eſſet in ſede & cathedra S. Moedog. Et tunc S. Moedog à multis catholicis conſecratus eſt.* Locus nomen habet (ut notat *Colganus*) à *Ferna* heroe, *Carili* regis Deſiorum filio, ibi in pugna, per *Gallum* filium *Mornæ* interempto. Hic cùm *Edanus* annos plùs minùs 50, paſtorali munere perfunctus eſſet, anno 632, Januarii 31, (quo die memoria ejus celebratur) *fundatis multis eccleſiis & peractis maximis miraculis* (ſic author prædictus) *felicissimo obitu, ad Chriſtum migravit.* In Eccleſia ſua ſepultus eſt.

S. MOLINGUS.

SAnctus *Molingus*, dictus etiam *Dairchilla*, natus est in regiuncula Kenshelaghensi, quæ nunc pars est comitatus Wexfordiæ, adolescens adhuc, monasticam amplexus est vitam. Postea Aghacainidæ, ad ripam Barroi fluvii, (quæ hodiè vulgò Teghmoling appellatur) in cœnobio à se constructo, Abbas præfuit. Ibi plerúnque, nonnunquàm verò Glendelacæ, complures transegit annos. Interim scripsisse ferunt Hibernicè, vaticinia quædam, quibus multa prædixit, de Regibus Hiberniæ, & de præliis & mortibus eorum, *usque in finem seculi*. Anno tandem 632, à rege Lageniæ, procerum suasu, *constitutus est Archiepiscopus, in sede & in cathedra S. Moedogi*. Vitam hanc reliquit 17 Junii an. 697, valdè senex, cùm diù ante obitum præsulatum abdicâsset. Corpus Teghmolingi, in cœnobio suo, honorificè sepultum est, *Molingum, Braccanum, Patricium* & *Columbam, quatuor Hibernicos Prophetas* appellat *Giraldus* Cambrensis, lib 2. Hiberniæ expugnatæ, cap. 33. ubi etiam eorum libros suo tempore extitisse *Hibernicè scriptos*, asserit.

Comanus successit, & decessit 675.

Mædogarius obiit 676.

Diratus obiit 692, aliis 690.

Cillenius ob. 714. De successoribus ejus, per trecentos & amplius annos, nullam reperi mentionem.

Dermitius O-Rudican obiit 1048, aliis 1050.

Flan O-Corboy.

Foghdathus O-Haurecan.

Nelanus mac-Donegan.

Carbricus O-Kerwy obiit 1095.

Gelasius (al. *Cellus*) *O Colman* obiit 1117.

Carthagus O Malgebry.

Melisa O-Cathan.

Rodericus (al. *Rory*) *O-Traffy.*

JOSEPHUS O-HETHE.

Josephus O-Hethe, aliis *O-Æda*, annos præfuit plùs minùs 30. In chartâ fundationis Monasterii Donbrothilensis, cui testis fuit, Episcopus appellatur Wexfordiæ. Mortem obiit 1485, & Wexfordiæ (ut opinor) sepultus est. Notandum hîc *Josephum* hunc, necnon Albinum successorem ejus, dictos fuisse interdùm Episcopos Wexfordienses, & eo usos stylo, in chartarum quarundam subscriptionibus: fortasse animo cathedram hanc Episcopalem ad Wexfordiam, opidum tunc temporis populi frequentiâ longè celebrius, transferendi. Hoc certè constat, hunc Episcopatum in Bulla *Lucii* 3 Papæ ad *Johannem Cominum*

minum Archiepiſcopum Dublinienſem data Velletri Id. Aprilis, Indictione 15, anno Incarnationis Dominicæ 1182, *Wexfordenſem* eſſe dictum.

ALBINUS O-MULLOY.

DEfuncto *Joſepho*, *Joannes* comes Moretoniæ (poſteà Rex Angliæ) præſulatum hunc obtulit *Giraldo Barry*, vulgò Cambrenſi, Archidiacono Menevenſi, & Epiſcopatum Leghlinenſem, tunc fortè vacantem, huic ſedi adjecturum promiſit. Eo autem recuſante, in Epiſcopum electus eſt *Albinus O-Mulloy*, monachus primùm, deinde Abbas Baltinglaſſenſis, ut ex vita M.S. ejuſdem *Giraldi*, in Bibliotheca *Cottoniana* conſtat. Acrem ibi memoratam reperi contentionem, inter *Giraldum* illum & Albinum, in Synodo Dublinii coacta, ſub medium quadrageſſimæ 1185. De certamine quod habuit cum *Gulielmo Mareſcallo* ſeniore, comite Penbrochiæ, qui duo Manneria ad Epiſcopatum pertinentia invaſerat, (in quo tamen Epiſcopus ſuccubuit) petas (ſi placet) Hiſtoriam majorem *Matthæi* Pariſienſis, ubi fusè habetur. Deceſſit admodùm ſenex, ſub exitum anni 1222. cùm præfuiſſet annos plùs minùs 36.

JOANNES de S. JOANNE.

ANno ſequenti, ſucceſſit *Joannes de S. Joanne*, eccleſiæ Limericenſis Theſaurarius, necnon totius Hiberniæ Quæſtor ſive Theſaurarius, Anglorum primus, qui hanc ſedem obtinuit. In eccleſia ſua, is Decanatum vel erexit, vel dotavit. Prioratum *S. Joannis de Iniſcorthy*, (aſſenſu *Giraldi de Prindergaſt*, loci Patroni) cellam fecit cœnobii S. *Thomæ* Dublinii. Inter primarios Eccleſiæ ſuæ Benefactores, prætereà numeratur, tam ob ſtructuras ſuas, quàm ob privilegia ſedi ſuæ comparata. Anno 1240 menſe Septembri, Synodum coëgit Wexfordiæ, in cœnobio ſanctorum *Petri* & *Pauli de Selsker*, cujus Canones mihi olim impertivit venerandæ Antiquitatis cultor, *Daniel Molineux*, *Ulſter*, rex Armorum, mihi dum viveret amiciſſimus. Obiit *Johannes* hic anno 1243, poſtquàm magna cum prudentiæ & integritatis laude, ſedi Fernenſi præfuiſſet annos circiter 21.

GALFRIDUS de S. JOHANNE.

ILli bis ſucceſſit *Galfridus de S. Joanne*, (fortè frater ejus) primùm in Eccleſiæ Limericenſis Theſaurariatu, deinde in Epiſcopatu Fernenſi. Fuit porrò *Galfridus*, ante Præſulatum, Hiberniæ *Eſcaetor*. Deceſſit ſub initium anni 1258.

HUGO de LAMPORT.

HUgo *de Lamport*, Theſaurarius Fernenſis, legitimè electus ſucceſſit, ab *Hen.* 3. confirmatus 10 Julii anno regni 42, Chriſti 1258, eodemque anno conſecrationem obtinuit. Inter Benefactores cœnobii S. *Albani* in Anglia, is numeratur, ob indulgentias quas cœnobio illi conceſſerat. Vitâ functus eſt 1282, Maii 23.

RICHARDUS de NORTHAMPTON.

R*Ichardus de Northampton*, eccleſiæ Laonenſis Canonicus Temporalibus reſtitutus eſt 13 Octobris 1282, & 13 Januarii 1303. (vel ſi initium anni deducas à Calend. Jan. 1304.) defunctus eſt, conſecrationis 21. Fernæ in eccleſia cathedrali S. *Edani* ſepultus.

SINON de EVESHAM.

JUnii 22, 1304, *Simon de Eveſham*, (aliis *Hernesby*) conſecratus eſt, & 1 die inſequentis Septembris, cùm præſulatum vix deguſtâſſet, è vivis exceſſit.

ROBERTUS WALRAND.

R*Obertus Walrand* ſedit annos plùs minùs 6, & deceſſit Fernæ, 17 Novembris anno 1311.

ADAMUS de NORTHAMPTON.

A*Damus de Northampton* in Epiſcopum Fernenſem conſecratus eſt, in feſto S. Trinitatis 1312. Eccleſiæ ſuæ Decanatui appropriavit Eccleſiam de Maglas. Obiit 1346, Octobris 29. Illo ſedente, Ferna per rebelles ſuccenſa & direpta eſt.

HUGO de SALTU.

QUi ſucceſſit, *Hugo de Saltu*, eccleſiæ S. *Patricii* Dublinii Præbendarius, Dublinii ſacratus in Dominica Paſſionis 1347, ante finem ejuſdem anni, a Papâ, (qui proviſionem eccleſiæ Fernenſis vivente *Adamo*, ſibi reſervâſſe dicebat) exauthoratus eſt.

GAL-

GALFRIDUS GROSSELD.

SUccessit illi, à *Clemente* 6. designatus, *Galfridus de Grosseld* S. Theologiæ Doctor, ordinis Eremitarum S. *Augustini*, Avenione (ni fallor) consecratus anno 1347. Temporalibus restitutus est 26 Martii 1348, & 22 Octobris insequentis, ex hac vita migravit.

JOANNES ESMOND.

Ioannes Esmond, (aliàs *Estmond*) sub exitum anni 1349. consecratus, brevi posteà, quam ob causam non comperi, à Papâ deprivatus est.

GULIELMUS CHARNELLS.

DIcto obice sublato, *Gulielmus Charnells*, nescio cujus societatis Monachus, per Papam huic sedi præfectus, temporalibus restituitur 15 Octobris *Edw.* 3. 24. hoc est, 1350. Castrum Fernense per rebelles captum, hic (famulis & clientibus suis stipatus) fusis profligatisq; rebellibus, recuperavit. Præfuit annos fermè 12. factus intereà ad tempus Hiberniæ Thesaurarius. Obiit 1362, mense Julio.

THOMAS DEN.

Thomas Den, Archidiaconus Fernensis, Academiæ Oxoniensis alumnus, insigni & antiquâ ortus familiâ, consecratus in festo S. Trinitatis 1363, hanc sedem administravit annos plusquam 37. ab hac luce subtractus admodùm senex & valetudinarius, 27 Augusti, 1400, & 3 die posteà, licentia eligendi successorem concessa est Decano & Capitulo.

PATRICIUS BARRET.

IN Episcopatu successit *Patricius Barretus*, Canonicus Cœnobii Kellensis in Ossoria. Pontificis mandato in Episcopum sacratus est Romæ, mense Decembri 1400, & Aprilis insequentis 11, Temporalibus restitutus est. Hic ad tempus fuit Hiberniæ Cancellarius. Cœnobio sanctorum *Petri & Pauli de Selker* juxta Wexfordiam, ecclesiam de Ardcolm appropriavit. Decessit 1415, 10 Novembris, & in cœnobio Kellensi prædicto sepultus est. Scripsit is Catalogum Prædecessorum suorum, in sede Fernensi.

ROBERTUS WHITTEY.

Robertus Whittey, Eccleſiæ Fernenſis Præcentor, (à *Martino* 5 Papa Epiſcopus deſignatus) antedicto Cœnobio Selskerenſi Wexfordiæ appropriavit eccleſiam de Ardkevan. Obiit anno Dom. 1458, conſecrationis 42, ætatis autem 88. cùm per decennium fermè ante obitum lecto affixus jacuiſſet. Anno 1451 coadjutorem habuit fratrem *Thaddæum*, ordinis Minorum.

JOANNES PURSELL.

Joannes Purſellus, (qui ſucceſſit) è vita migravit an. 1479, cùm præfuiſſet annos plùs minùs viginti.

LAURENTIUS NEVILL.

DEfuncto *Purſello*, à *Sixto* 4, proviſus eſt *Laurentius Nevillus*, eccleſiæ Fernenſis Canonicus, vir nobili ortus familiâ. Temporalibus reſtitutus eſt 20 Maii 1480. Præfuit huic eccleſiæ circiter annos 23, & defunctus eſt anno 1503.

EDMUNDUS COMERFORD.

Edmundus Comerford, Kilkennienſis Decanus, Kilkenniæ, in eccleſia S. *Canici* conſecratus eſt 1505, & cùm hanc ſedem annos duntaxat 4 rexiſſet, deceſſit die Paſchatis anno Dom. 1509.

NICHOLAUS COMYN.

Nicholaus Comyn, in Epiſcopum Fernenſem ſacratus Londinii, in eccleſia *Paulina*, 20 die Januarii 1509, ad Epiſcopatum Waterfordienſem & Liſmorenſem tranſlatus eſt anno 1519. Is Chorum eccleſiæ ſanctæ Trinitatis Waterfordiæ, (à *Roberto Lumbardo* Decano adjutus) multùm ornavit, & teſtudine picturis operis egregii ornatâ, operuit 1522. Menſe tandem Julio 1551. tranſlationis 33, grandævus tum & valetudinarius reſignavit.

JOANNES PURSELL.

SUcceſſit in Epiſcopatu Fernenſi *Joannes Purſell*, qui Romæ conſecratus eſt 6 Maii 1519, & Julii 20, 1539, vitam hanc reliquit.

ALEX

ALEXANDER DEVEREUX.

ALexander *Devereux*, ſive de Ebroico, poſtremus Abbas Donbrothienſis, Balmagirræ natus in comitatu Wexfordiæ, Dublinii in Eccleſia *Divi Patricii* ſacratus eſt 14 Decembris 1539, annóque 1566, cùm annos ſediſſet fermè 27, Fethardæ deceſſit, & in cancello eccleſiæ parochialis ibidem ſepultus eſt.

JOANNES DEVEREUX.

JOannes *Devereux*, Decanus Fernenſis, ſub finem ejuſdem anni, per *Hugonem Correnum* Dublinienſem Archiepiſcopum, in Epiſcopum conſecratus eſt. Deceſſit 1578, & Wexfordiæ, in eccleſia parochiali S. *Mariæ*, tumulo conditus eſt.

HUGO ALLEN.

ANno inſequenti, ab *Elizabetha* Regina in ſucceſſorem electus eſt *Jacobus Proctor*, Præbendarius eccleſiæ Sarisburienſis in Anglia. Is verò ante conſecrationem deceſſit. Maii tandem 24, 1582. *Hugo Allen*, Epiſcopus Dunenſis & Connorenſis hùc tranſlatus eſt. In Hiberniam primùm pervenit cum *Thomo Smitho*, 1572, annoque ſequenti in Epiſcopum ſacratus eſt Dunenſem & Connorenſem à *Thoma* Armachano Archiepiſcopo. Anno deinde 1582, Fernam (uti diximus) migravit. Hic Manerium de Fethard (præter multa prædia) in plurimos elocavit annos, reditibus quibuſdam exiguis ſedi reſervatis. Manerium verò illùd repetiit *Thomas Ramus* poſteà Epiſcopus. Mortem obiit Fethardæ, anno Dom. 1599, & in eccleſia parochiali ibidem ſepultus eſt.

ROBERTUS GRAVE.

RObertus *Grave*, Decanus Corcagienſis patriâ Cantianus, Academiæ Cantabrigienſis alumnus, ab *Elizabetha* Regina Epiſcopus tam Fernenſis quàm Leghlinenſis deſignatus, Dublinii in eccleſia S. Trinitatis conſecratus eſt, menſe Auguſto 1600, & primo inſequentis Octobris, dum Wexfordiam per mare iter intendit, ortâ tempeſtate, in ipſo portu Dublinienſi, naufragio periit.

NICHOLAUS STAFFORD.

GRaveo in utroque Epiſcopatu ſucceſſit *Nicholaus Stafford*, Cancellarius Fernenſis. Conſecratus eſt circa 20 Martii (ſtylo Anglicano) 1600. Sedit annos 3, & menſes 8. Diem clauſit extremum 15 Novembris 1604, & Wexfordiæ in eccleſia

beatæ *Mariæ* ſepultus eſt, ſub eodem tumulo (ut accepi) quo prædeceſſor ejus *Joannes Devereux*.

THOMAS RAM.

Thomas Ramus, natus eſt Windſoræ in comitatu Berkenſi, educatus Ætonæ primùm, deinde Cantabrigiæ, in collegio Regio, donec artium Magiſter creatus, cum *Roberto* Eſſexiæ comite, cui fuit à ſacris, in Hiberniam venit 1599. Anno inſequente per *Carolum* Baronem *Montjoium* Hiberniæ proregem, (poſteà Devoniæ comitem) cujus ſacellanus tum fuit, Corcagienſis primum, deinde Fernenſis conſtitutus eſt Decanus. Poſt quinquennium, ad Epiſcopatus Fernenſem & Leghlinenſem evectus, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia cathedrali S. Trinitatis, 2 die Maii 1605, (ſede Dublinienſi vacante) per *Henricum Vſſerium* Archiepiſcopum Armachanum. Deceſſit, annos natus 70, apoplexiâ correptus, Dublinii, 24 Novembris 1634, unde corpus Novo-burgum in agro Wexfordienſi deportatum, ibidem in capellâ à ſe conſtructâ, ſepultum eſt.

GEORGIUS ANDREW.

Georgius Andrew, Daventriæ natus in pago Northamptonenſi, collegii Magdalenenſis Oxoniæ alumnus, Decanus Limericenſis, conſecratus eſt Fernenſis & Leghlinenſis epiſcopus, Dublinii in eccleſia S. *Patricii*, (cujus Præcentor fuerat) 14 Maii 1635, à *Lanceloto* Archiepiſcopo Dublinienſi, *Theophilo* Dromorenſi, *Guilielmo* Kilmorenſi & *Johanne* Ardachadenſi epiſcopis. Obiit Londini, menſe Octobri 1648, & in parochiali eccleſia S. *Clementis* humatus eſt.

ROBERTUS PRICE.

Robertus Price, Cambro-Britannus, Legum Doctor Dublinienſis, Decanus Connorenſis, *Thomæ* comiti Straffordiæ, Proregi Hiberniæ à ſacris, educatus Oxoniæ, in Collegio Chriſti, ibique Artium Magiſter creatus, conſecratus eſt Epiſcopus Fernenſis & Leghlinenſis, Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, 27 Januarii (ſtylo Anglicano) 1660.

DE

DE
Epiſcopis
OSSORIENSIBUS.

S. KIARANUS.

SEdes Epiſcopalis Oſſorienſis Saigeræ, (quam hodiè Seir-keran appellamus) in Elia Carolina, primùm collocata, inde (ut nonnullis placet) Aghavoam in Oſſoria ſuperiori, demùm verò, bonis avibus, Kilkenniam tranſlata eſt. Primus Saigerenſis Epiſcopus fuit S. *Kiaranus* ſenior, filius *Lugnei*, vir magnæ auctoritatis, ob ſanctitatem & doctrinam. Quirinum tamen eum fuiſſe ad quem & cæteros in Hibernia Epiſcopos, ſcripta eſt Epiſtola 61 *Gregorii* 1, quæ in Regeſto ejuſdem *Gregorii*, lib. 9 extat, (licèt *Kiarani* eminentia, longævitas & nominis ſimilitudo quodammodo invitent) non audeo affirmare. Natus dicitur in Oſſoria, parentibus ethnicis. Juvenis in partes tranſmarinas profectus, Romæ tandem, ubi Chriſtianam Religionem amplexus eſt, annos 20 hæſit. *Tum Epiſcopus ordinatus* (ſic author MS. vitæ ejus) *miſſus eſt ad patriam ſuam, Hiberniam ſcilicèt, & occurrit ei in via in Italia, S. Patricius Archiepiſcopus totius Hiberniæ, & videntes ſe invicem, ſancti Dei gaviſi ſunt. Tunc S. Patricius non erat Epiſcopus, ſed poſteà à Cæleſtino Papa ordinatus eſt Archiepiſcopus & miſſus eſt ad prædicandum in Hiberniam. Cui jam quamvis alii ſancti ante ſe erant in Hibernia, Dominus cuſtodivit magiſterium & omnem Archiepiſcopatum Hiberniæ; quia per neminem Reges vel Duces Hiberniæ ante Patricium, Deo crediderunt.* *Kiaranus* poſt reditum, Domini ſui talentum non occultans, Chriſtum diligentèr prædicavit, multoſque ab idolorum cultu ad fidem convertit. Sedem fixit Saigeræ. Hæc ſedes Aghavoam in ſuperiori Oſſoria (uti diximus) tranſlata eſt, ſed quo tempore incertum: fortaſsè

fortaſsè tamen anno Dom. 1052, nam ad eum annum, ita Annales MSS. Lagenienſes: *Templum Achadboæ corſtructum eſt, & Canici ſcrinium ibi collocatum.* Hic S. *Canicus* filius *Laideci* Poëtæ inſignis, vir doctus & induſtrius, primus fuit Abbas cœnobii Aghavoenſis, à ſe conſtructi, in quo etiam defunctus 5 Idus Octobris anno Dom. 599, vel 600, annos natus 72. Aghavoam, ſive ut olim Achadbeam, *Adamnanus* in vita S. *Columbæ*, lib. 1, cap. 4, *Campulum Bovis* interpretatur, & Scriptor vitæ S. *Canici*, *Agrum Boum.* Hinc verò cathedram Epiſcopalem tandem Kilkenniam tranſtulit *Felix O-Dullany* Epiſcopus Oſſorienſis, circa finem regni *Henrici* 2 Regis Angliæ. Obiit S. *Kiaranus*, circa annum 549, Martii 5. Epiſcoporum hujus ſedis memoria per multa poſteà ſecula perexigua ſupereſt. Quatuor memorantur in Hiſtoricis noſtris, *Carthacus* ſenior proximus ejus ſucceſſor in Epiſcopatu, & *Sedna* qui *Carthaco* ſucceſſit. Quando verò deceſſerint non comperi. Duo itidem *Cormaci*, Primus obiit anno 867, Secundus, 997.

DONALDUS O-FOGERTY.

DE tempore & loco obitus ejus, ſic vetuſtus Codex MS. *Donaldus O-Fogertaig Epiſcopus Oſſorienſis & Comorbanus Ciarani, in bona ſenectute, in pace Chriſti quievit, apud Rath-ciaran, 8 Id. Maii* 1178. Præfuit (ut puto) 20 & ampliùs annos.

FELIX O-DULLANY.

SUcceſſit ei *Felix O-Dullany*, Monachus Ciſtertienſis, (Abbas Oſſorienſis dictus.) Hic Aghavoâ relictâ, cathedram Epiſcopalem Kilkenniam tranſtuliſſe fertur, & ibidem fundamenta jeciſſe Eccleſiæ cathedralis, poſteà S. *Canico* Abbati dicatæ, quæ tamen non abſoluta fuit ante tempus *Galfridi de S. Leodegario* Epiſcopi, qui eam ſumptu non exiguo, ante obitum ſuum, qui incidit in an. 1286, perfecit, licèt ante eum, nonnulli è prædeceſſoribus, imprimis *Hugo Mapiltonus*, fabricæ ejuſdem Eccleſiæ ſtrenuè incubuiſſent. Præfuit hic annos plùs minùs 24, tumque (anno ſcilicet 1202,) decedens, in Monaſterio beatæ *Mariæ* de Ieripont conditus eſt. Ad ejus tumulum, qui à Septentrionali parte ſummi Altaris viſitur, multa olim patrata ferunt miracula.

HUGO RUFUS.

HUgo *Rufus*, Anglus, Canonicus Auguſtinianus, & primus cœnobii Kellenſis in Oſſoria, (tum nuper à *Galfrido* filio *Roberti* fundati) Prior, totius Cleri conſenſu, in Epiſcopum electus

electus 1202, ante finem ejuſdem anni conſecrationem obtinuit. Illius ſuaſu, *Thomas* filius *Antonii* cœnobium S. *Columbæ* de Iniſtiock condidit, & Canonicis implevit Auguſtinianis, ut ex charta fundationis conſtat. *Gulielmo Mareſcallo* ſeniori comiti Penbrochiæ, is magnam partem urbis Kilkennienſis conceſſit, unâ auri unciâ ſibi & ſucceſſoribus reſervatâ. E vita migravit 1218. & in Monaſterio Kellenſi antedicto (cui multa contulit) tumulatus eſt.

PETRUS MANNESIN.

Petrus Manneſin, al. *Malveiſin*, Canonicus Oſſorienſis, à Decano & Capitulo legitimè electus, à Rege confirmatus eſt (ſicut ex archivis Turris Londinenſis didici) 8 Decembris 1218. Nemus de Aghlong propè Clonemoram, prædiúmque adjacens comparavit, & ſedi ſuæ reliquit. Sedit annos 11, & deceſſit 1229.

GULIELMUS de KILKENNY.

LIcentiâ Regiâ eligendi impetratâ, Decanus & Capitulum, è ſuo gremio, Martii 16, 1229, ſtylo Anglicano, in ſucceſſorem eligunt *Gulielmum Kilkennienſem*, hujus Eccleſiæ Cancellarium. Præfuit exiguo tempore, nam ſub initium anni 1232, ſuaſu ſucceſſoris, præſulatu ſe abdicavit.

WALTERUS de BRACKELL.

Walterus Brackellus, Rector de Strettunedall, in Dioceſi Herefordienſi, ſucceſſit. In ejus gratiam, literas non diù antè, ab *Hen.* 3. perſcriptas comperi, ad Archiepiſcopum Armachanum, quibus petebat, ut in Epiſcopum Midenſem (ſede tùm vacante) eligeretur; ſed illam ſedem obtinente *Radulpho Petit*, ad hanc eccleſiam, ejuſdem Regis operâ, promotus eſt 1232. Hic Præſul inter benefactores cœnobii celeberrimi ſancti *Albani* in Anglia numeratur, prout ex regiſtro ejuſdem Cœnobii, in Bibliotheca *Cottoniana*, conſtat. Obiit 5 Decembris 1243, cùm præfuiſſet annos paulò plus quàm VII.

GALFRIDUS de TURVILL.

Galfridus de Turvil, Archidiaconus Dublinienſis, & Hiberniæ Quæſtor ſive Theſaurarius, legitimè electus, conſecratus eſt 1244. Sedi ſuæ is Mannerium de Dorogh & prædia ad illud ſpectantia, comparavit, & ædes Epiſcopales ibidem conſtruxit. Fato functus eſt Londini, 1250, circa feſtum omnium Sanctorum, & ſepultus eſt in interioris templi Eccleſia, (cui 35

dies indulgentiarum concesserat) cùm circiter 6 annos sedisset. Dum Archidiaconus esset Dublinienſis, *Radulphus Nevill* Episcopus Ciceſtrenſis conſtitutus est ab *Henrico* 3, (Septembris 28 1232) Hiberniæ Cancellarius, quem locum per *Galfridum* noſtrum ſupplevit.

HUGO de MAPILTON.

HVgo de Mapilton, al. *de Glendelach*, Archidiaconus itidem Dublinienſis, Episcopus Oſſorienſis conſecratus, ſub exitum Maii 1251, menſe inſequenti, Hiberniæ factus est Theſaurarius. Ædes Episcopales apud Aghor, ſibi & ſucceſſoribus extruxit. Fabricæ porrò eccleſiæ cathedralis S. *Canici*, ſtrenuè incubuit; ſed morte immaturâ ſublatus, operi ultimam manum non impoſuit. Deceſſit (ut fertur) 1256, & in eccleſia ſua ſepultus est, prope capellam beatæ *Mariæ*, ubi tumulum videmus ſtatuâ operis exquiſiti ornatum. In eadem eccleſia præbendas aliquot erexit.

HUGO III.

IN eccleſiæ Oſſorienſis archivis ſucceſſor nominatur *Hugo* quidam, Dominicanus, qui multa dicitur contuliſſe fratribus ſui ordinis Kilkenniæ, ac inter alia, fontem S. *Canici*, & aquæductum. Hoc munere biennio functus, obiit 1259, & in Eccleſia Dominicanorum prædictorum, prope ſummum Altare ſepultus est.

GALFRIDUS S. LEGER.

GAlfridus à S. *Leodegario*, eccleſiæ Canicanæ Theſaurarius, clara ortus familia, in Episcopum ſacratus est 1260. Eccleſiæ ſuæ ſtructuram quam *Mapiltonus* imperfectam reliquerat, is ſumptu non exiguo perfecit. In ædium Episcopalium reparatione & ornatu, apud Aghavoam & Dorogh, magnam impendit pecuniæ ſummam. Porrò Vicariorum choralium collegio, (cujus fundator fuit) multa contulit, eoſque diem ſuum anniverſarium, necnon anniverſarios *Brackelli*, *Turvilli*, *Mapiltoni* & aliorum, celebrare ordinavit. Anno 1284. pro Manerio de Seir-keran, *Breve* (quod vocant) *de recto* proſequutus, Manerium illud (ſic *Clinnus*) duello acquiſivit; Ejus pugile ſcilicèt, (nam ita intelligo) adverſarii pugilem ſuperante. Præfuit huic dioceſi annos 26, & decedens menſe *Januario* (ſecundùm computationem eccleſiæ Anglicanæ) 1286. tumulo conditus est prope *Mapiltonum*, ſtatuâ ejus affabrè ornato. Non poſſum hic præterire, amœniſſimum hujus eccleſiæ ſitum. Nam è colle clementer

menter edito, & urbem modicè ſubjectam, & fertiliſſimam regionem adjacentem, Neoro flu. irriguam, jucundiſſimè, proſpectat.

ROGERUS de WEXFORD.

Rogerus de Wexford, Decanus Kilkennienſis, in ſucceſſorem, rege annuente, electus, Kilkenniæ in eccleſia Canicana, unà cum *Thoma de S. Leodegario* epiſcopo Midenſi, conſecratus eſt per *Joannem de Saunford* Archiepiſcopum Dublinienſem, 1287, 3 Novembris. E vivis exceſſit 28 Junii, 1289, & in eccleſia ſua dicitur humatus. Deinde 5 inſequentis Septembris, licentiam eligendi à Rege, Decano & Capitulo Kilkennienſi, conceſſam comperi.

MICHAEL de EXONIA.

Michael de Exonia, Eccleſiæ Kilkennienſis Canonicus in epiſcopum electus eſt 28 Septembris 1289, & ſub finem ejuſdem anni conſecrationem accepit. Erga Canonicos eccleſiæ ſuæ, liberalitas ejus multùm laudatur. Obiit circa feſtum Pentecoſtes (vel ut alii, 12 Julii) 1302, conſecrationis 13.

GULIELMUS filius JOANNIS.

Gulielmus filius *Joannis*, ejuſdem itidem eccleſiæ Canonicus, à Concanonicis ſuis, in Epiſcopum Oſſorienſem electus, conſecratus eſt Kilkenniæ 1302. paulò poſt feſtum Epiphaniæ, annoque 1317, cum huic eccleſiæ per annos 15, præfuiſſet, proviſione Papali, Caſſeliam tranſlatus eſt. De novi Archiepiſcopi electione, magna fuit eo tempore contentio, Decanus & potior pars Canonicorum Caſſelienſium, Killociæ (quam Kilmallock appellamus) in agro Limericenſi, in Archiepiſcopum elegerunt *Joannem mac-Carwill*, Epiſcopum Corcagienſem, Nonnulli verò Caſſeliæ in eccleſia cathedrali S. *Patricii* coëuntes, ſuffragia contulerunt *Thomæ* Archidiacono Caſſelienſi. *Edwardus* 2. (ſimul ac hæc contentio ei nunciata eſt) ſatagebat, ut Archiepiſcopatui præficeretur *Galfridus de Ailham* Minorita; interim verò Papa Archiepiſcopum *Gulielmum* filium *Joannis* declaravit, quem poſteà Rex ipſe (cui ob plurimas animi dotes innotuit) non gravatè confirmavit. Hiberniæ Cuſtos factus eſt 6 Maii 1318, & circa idem tempus ejuſdem regni Cancellarius. Mortem obiit Septembris 15, 1326, (ut *Clynnus*) *vir potens, dives ac venerabilis in populo & in clero*. Dum Epiſcopus eſſet Oſſorienſis, appropriavit cœnobio Canonicorum S. *Joannis* Euangeliſtæ Kilkenniæ, eccleſiam de Claragh, reſervatâ vicariis choralibus S. *Canici*, annuâ penſione 20 ſolidorum.

RICHARDUS LEDRED.

Richardus Ledred, Minorita Londinensis, *Joannis* 22 Pontificis mandato, consecratus est Avenione 1318. De molestiis ei per *Arnoldum Poer* Kilkenniæ Seneschallum, & per illum vicissim *Arnoldo* exhibitis, narrationem habes in Annalibus Hiberniæ, à *Camdeno* editis, ad annos 1325, & 1328. Anno posteà 1348, (*Waddingo* verius 1347, postquàm in exilio per 9 annos vixerat) *in curia Romana obtinuit exemptionem* (inquit jam dictus *Clynnus*) *à jurisdictione & superioritate Archiepiscopi Dublinæ*, sed irrito (opinor) successu. Biennio posteà, Temporalia ejus fisco sunt adjudicata, vel (ut forensi vocabulo utar) in manus Regis seisita, quòd Hiberniæ Thesaurarium injustè excommunicaverat, & capitalem *Banci Communis* Justitiarium, in Tribunali sedentem, convitiis onerauerat. Non multò post, quidam *Thomas* filius *Gilberti*, (ut ex archivis regiis liquet) castrum de *Moycobir* diripuit & incendit, ac *Hugonem le Poer* ibidem interfecit; *Ledredus* etiam tanquam hujus facinoris conscius, in judicium vocatus est, nec aliter (quod sciam) objecta crimina diluit, quam regio condonationis diplomate. Illud diploma tanquàm surreptitium & per fraudem impetratum, posteà Rex irritum pronunciavit. Utcunque, sub finem anni 1354, in gratiam receptus est, & hâc tempestate sedatâ, reliquum ætatis in magna tranquillitate transegit. Ecclesiam cathedralem hic multùm ornavit, omnesque fenestras de novo erexit, ac vitro obduxit, inter quas enituit fenestra orientalis, opere tam eximio adornata, ut in universa Hibernia, par ei non inveniretur. Tres ecclesias extra muros (licentiâ regiâ impetratâ) demolitus, earum usus est lapidibus, in ædium Episcopalium, propè Ecclesiam cathedralem, structura. Decessit admodùm senex, Anno Dom. nostri 1360, & in ecclesiâ suâ, prope summum altare, ad latus Euangelii, tumulo conditus est.

JOANNES de TATENALE.

DEfuncto *Ledredo*, in Episcopum electus est *Milo de Sweetman*, Ecclesiæ Kilkennienſis Thesaurarius, is qui paulò pòst Archiepiscopus evasit Armachanus. Sed electione eâ rejectâ, huic sedi à Pontifice præficitur *Joannes de Tatenale*, aliis Oxoniensis cognominatus, ex ordine Eremitarum S. *Augustini*, vel, ut alii volunt, ex ordine Prædicatorum. Vicariis choralibus is omnes remisit procurationes, sedi debitas jure visitationis ordinariæ, exceptâ annuâ 6. sol. 8. den. solutione, eâ lege, ut sub decem solidorum mulcta, anniversarium obitus sui diem celebrarent. Ex hac vita migravit anno Salutis 1370.

ALEX.

ALEXANDER BALSCOT.

SUccessit (à *Gregorio* XI. Pontifice provisus 1371,) vir magna eruditione & prudentia, *Alexander Balscot*, Canonicus ecclesiæ Kilkennienſis, qui ſub *Edward.* 3. factus eſt Hiberniæ Theſaurarius, & ſub *Richardo* 2. primùm Theſaurarius, deinde ejuſdem regni Cancellarius, necnon ad tempus, Juſtitiarius. Sedit hîc circitèr annos 15, tumque ad ſedem Midenſem à Papa tranſlatus eſt. Bullæ tranſlationis publicatæ ſunt in Eccleſia cœnobii S. *Petri* novæ villæ juxta Trim, Decembris 14, 1386. Mortem obiit apud Ardbraccan, 10 Novembris 1400, & Trimmæ in Cœnobio beatæ *Mariæ*, humatus eſt.

RICHARDUS NORTHALIS.

Richardus Northalis, Carmelita Londinenſis conſecratus eſt 1286, annis deinde 1391, & 1394, à *Richardo* 2. ad *Bonifacium* 9. miſſus eſt Legatus. Fuit etiam ad tempus Hiberniæ Cancellarius. Atqui poſt annos circiter 9. in hac ſede tranſactos, Dublinium tranſlatus eſt. De illo vide plura (ſi placet) inter Dublinienſes.

THOMAS PEVERELL.

Thomas Peverell, vel (ut in archivis regiis nominatur) *Pierevil*, Carmelita itidem, & S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, anno 1397, *Richardi* 2. Regis operâ. Epiſcopus factus eſt Oſſorienſis, vir ſuo ſeculo celebris, in agro Suffolcienſi ex honeſta familia natus. Præfuit huic ſedi, tempore perquàm exiguo, nam menſe Maio 1398, ad ſedem Landavenſem (in Wallia) tranſlatus eſt, ac inde Wigorniam 1407. Ubi cùm annos 10 ſediſſet, mortem obiit 1 Martii 1417, vel ut alii, (qui initium anni deducunt à Calendis Januarii) 1418, & in eccleſia cathedrali Wigornienſi ſepultus eſt. De operibus ejus, vide ex Lelando Baleum.

JOANNES GRIFFIN.

Joannes Griffin, Cancellarius Limericenſis, in Epiſcopum Leghlinenſem conſecratus 1385, & Scaccarii Cancellarius factus 1391, à Papa hùc tranſlatus eſt 1398. Poſt annum deinde unum aut alterum è vita migravit.

ROGERUS de APPLEBY.

TUm *Rogerus de Appleby*, Prior cœnobii de Newton in dioceſi Lichfeldenſi, à *Bonifacio* 9 Pontifice, proviſus eſt Epiſcopus Oſſorienſis, 6 Kalend. Octobris, 1400, & 6 inſequentis Aprilis, temporalibus à rege reſtitutus eſt. Deceſſit (ut videtur) anno 1404.

JOANNES VOLCAN.

Joannes Volcan, Epiſcopus Dromorenſis per eundem *Bonifacium* nonum ad hanc Eccleſiam tranſlatus eſt 1404. Deceſſit anno inſequenti, circa feſtum S. *Michaelis*. Præſul fuit ob animi dotes, non ultimi ſubſellii.

THOMAS SNELL.

Thomas Snell, Archidiaconus Glendelacenſis, deinde epiſcopus Liſmorenſis & Waterfordienſis 1399, Temporalibus hujus ſedis reſtitutus eſt 23 Septembris 1405. Eccleſiæ ſuæ dedit veſtimenta quædam pretioſa, & ſucceſſoribus Mitram gemmis exornatam reliquit. Obiit Waterfordiæ 1416. 16 Octobris. Dum epiſcopus eſſet Oſſorienſis, anno nempe 1415, *Guilielmus Purſellus* Procurator ejus, necnon *Nicolai Flemingi* Archiepiſcopi Armachani interfuit Concilio generali Conſtantienſi.

PATRICIUS RAGGED.

ANno ſalutis 1417, *Patricius Ragged*, Epiſcopus Corcagienſis ad hanc ſedem tranſlatus eſt. Deceſſit 1421, Auguſti 20, ſi non, ut alii aſſerunt, Aprilis 20. De illo plura, inter Corcagienſes.

DIONYSIUS O-DEA.

Dionyſius O-Dea, Juris utriuſque Baccalaureus, necnon legum municipalium admodùm peritus, in Epiſcopum electus 26 Novembris 1421. Sedit circiter annos 5.

THOMAS BARRY.

SUcceſſit ei *Thomas Barry*. Is Hiberniæ Theſaurarius conſtitutus eſt 1 Jan. *Hen.* 6. anno 7, hoc eſt, Chriſti Dom. 1428. A fundamentis excitavit caſtrum, apud Manerium ſuum de Logh, unà cum aula ibidem. Deceſſit (ut fertur) 1459. Martii 3, & in eccleſia S. *Canici*, ante ſummum altare ſepultus eſt.

DAVID

DAVID HACKET.

QUi ſucceſſit, *David Hacket*, à Papa proviſus, annos præfuit circiter 18, intereà caſtrum Bolæ conſtruxit, ac aulam & coquinam ædibus Clonmorenſibus adjecit. Teſtudinem præterea campanilis Eccleſiæ Canicanæ, è polito lapide, erigi curavit. Hic Præſul è vivis exceſſit 1478. Octobris 24, & in Eccleſia ſua, prope ſummum altare ſepultus eſt.

JOANNES O-HEDIAN.

D*Avidi* ſuffectus eſt *Joannes Hedianus*, Archidiaconus (ni fallor) Caſſelienſis. In dioceſis ſuæ adminiſtratione multùm fertur deſudâſſe. Sedit annos circiter 7, & 6 Januarii 1486, è vita migravit. Sepultus eſt in quadam capella juxta portam Occidentalem Eccleſiæ cathedralis. Per biennium plùs minùs tum ſedes vacavit.

OLIVERUS CANTWELL.

O*Liverus Cantwell*, Dominicanus, ab *Innocentio* 8. Epiſcopus ordinatus 1488, à Rege *Henrico* 7, non eſt confirmatus, ante 28 Februarii anno regni 11, hoc eſt anno Dom. 1495, quo tempore, coram *Henrico Dean* tunc Epiſcopo Bangorenſi & Hiberniæ Juſtitiario, ob proviſionem (quam acceperat) Pontificiam, gratiæ Regis ſe ſubmiſit. In reparatione ædium Epiſcopalium, tam apud Aghor, quàm apud Freinſton, multum inſumpſit pecuniæ. Pontem majorem Kilkenniæ, aquarum inundatione fractum, reſtauravit. Vicariis porrò choralibus appropriavit eccleſiam S. *Mallæ*. *Oliverus* hic ſenectâ gravis, vitam hanc reliquit 9 Jan. 1526, cùm ſediſſet annos fermè 39, & ſepultus eſt (uti fertur) Kilkenniæ, in cœnobio ſui ordinis. Cæterùm monumentum (ut accepi) illius memoriæ erectum eſt in eccleſia cathedrali S. *Canici*. Dominicani habitum (etiam poſt Præſulatum) quoad vixit, retinuiſſe fertur.

MILO BARON.

M*Ilo Baron*, aliàs *fitz-Gerald*, Prior de Inſtiock, in Epiſcopum Oſſorienſem ſacratus eſt 1527. Prioratum verò uſque ab Abbatiarum viſitationem, (quo tempore *Henrico* 8, per chartam tranſcripſit) per diſpenſationem retinuit. Ante Præſulatum, dicto cœnobio novum campanile, necnon clauſtrum adjecit; poſt conſecrationem, ædes Epiſcopales Kilkenniæ reſtauravit, & eccleſiæ ſuæ pedum paſtorale argenteum contulit.

Deceſſit plenus dierum anno 1550, aliis 1551, ex mœrore, in ſenio ſæpè lethali, & in Monaſterio de Iniſtiock, inter majores ſuos, ſepultus eſt. Sunt qui tradant *Joannem Bird*, ab hac ſede Bangoram fuiſſe tranſlatum, 2 Septembris 1539, ſed perperàm proculdubiò, nam certum eſt *Milonem* noſtrum, tunc & diù anteà, huic ſedi præfuiſſe.

JOANNES BALE.

FEbruarii 2, 1552, (ſtylo Anglicano) *Joannes Baleus*, unà cum *Hugone Goodacro* Armachano Archiepiſcopo, à *Georgio* Dublinienſi Archiepiſcopo, aſſiſtentibus *Thoma* Darenſi & *Eugenio* Dunenſi Epiſcopis, Dublinii in eccleſia S. Trinitatis ſacratus eſt. *Qui ad Covii pagum natus*, (ut ipſe loquitur) *ad* 5. *à Donvico lapidem*, in comitatu Suffolciæ, educationem habuit aliquandiù Norwici, (ubi Carmelita factus eſt) deinde Cantabrigiæ, in Collegio Jeſu. Ob conciones tandem quibus religionem Romanam oppugnavit, in carcerem conjectus eſt, primùm à *Leo* Archiepiſcopo Eboracenſi, poſteà à *Stokeſleio* Epiſcopo Londinenſi; ſed *Cromwelli* operâ liberatus, paulò pòſt, ſolum vertere coactus, in Germaniam inferiorem ſe ſubduxit, ubi cùm per octennium vixiſſet, in patriam rediit, & demùm *Edwardi* 6. favore, ad hunc Epiſcopatum provectus eſt. Hic cùm nondùm ſex menſes ſediſſet, ex hac vita migravit *Edwardus*, & in regali ſolio collocata eſt *Maria*, quare nihil tuti ſibi reliquum exiſtimans, denuò profugit, (relictâ Kilkenniæ Bibliothecâ inſtructiſſimâ) ſed à piratis captus & venditus, lytro ſoluto, Baſiliam profectus eſt, ubi inter alios viros eruditos, familiaritate uſus eſt *Conradi Geſneri*, ut ex Epiſtolis utriuſque invicem ſcriptis, intelligi poteſt. Inde poſt quinquennium regnante *Elizabetha*, in Angliam reverſus eſt, & Præbendâ in Eccleſia Cantuarienſi contentus, ſedem ſuam repetere non curavit. Vir doctus fuit, in concionibus aſſiduus, & Antiquitatis ſtudioſiſſimus, in ſcriptis verò paſſim effrænatâ uſus eſt libertate. Opera edidit quamplurima, tam Latinâ linguâ quàm vernaculâ, quorum Catalogum ipſe recenſet in libro de Scriptoribus Britanniæ. Exceſſit è vita Cantuariæ 1563, menſe Novembri, annos natus 68, & in nave Eccleſiæ cathedralis ibidem ſepultus eſt.

JOHANNES THONORY.

IOanne *Baleo* Baſiliæ (uti diximus) vivente, *Joannes Thonory*, ſacræ Theologiæ Baccalaureus, patriâ Kilkennienſis, à *Maria* Regina Epiſcopus deſignatus, conſecratus eſt apud Iniſtiock, ſub finem anni 1553. Sedit annos 11, & ampliùs, tum verò (anno ſcilicet 1565) ob opes ejus per fures direptas, mœrore contabuit.

buit. De loco sepulturæ, nihil traditum comperi. Hic antiquas ecclesiæ suæ chartas alitèr perituras, transcribi & sigillo suo subsignari curavit. Illo sedente, 4 choristæ in ecclesia cathedrali S. *Canici* sunt instituti.

CHRISTOPHORUS GAFNEY.

CUm per biennium sedes vacâsset, ab *Elizabetha* Regina ad hunc Episcopatum evectus est *Christophorus Gafney*, Præbendarius de Tipper. Consecratus est Dublinii in ecclesia *D. Patricii*, 1567, mense Maio. Decessit 3 Augusti 1576, ac in capella quadam, ex parte aquilonari chori tumulatus est.

NICHOLAUS WALSH.

Nicholaus Walshus, ecclesiæ *Divi Patricii* Dublinensis Cancellarius, *Patricii Walshei* olim Waterfordiensis & Lismorensis Episcopi filius, Episcopus Ossoriensis consecratus est ineunte Februario 1577, Is Novum Testamentum, adjutus à *Nehemia Donellano*, postea Tuamensi Archiepiscopo, & *Joanne Kernæo* Thesaurario S. *Patricii* Dublin. in Hibernicum idioma convertere aggressus est, id quod posteà è Græco præstitit *Guilielmus Daniel*, nuper Archiepiscopus Tuamensis. Conatum *Walshei* cædes execranda præcidit. Nam à *Jacobo Dullard* homine perdito, quem ob adulterium in jus vocaverat, improvisò cultro (quem *a Skeine* vocant) in domo sua, trucidatus est. Homicida autem brevi posteà justas facinorum pœnas persolvit. Hæc cædes perpetrata est 14 Decembris 1585, *Walshei* corpus Kilkenniæ, in ecclesia cathedrali, sepulturæ est traditum. Per 9 menses tum sedes vacavit.

JOHANNES HORSFALL.

Johannes Horsfall, patriâ Eboracensis, successit, qui obiit 13 Februarii 1609, cùm sedisset annos 23 & menses circiter 5, ac in ecclesia Canicana sepultus est, sub plano marmore.

RICHARDUS DEAN.

SUccessit *Richardus Deanus*, Eboracensis itidem, Decanus Kilkennensis, Decessit 20 Februarii 1612. & Kilkenniæ in Ecclesia sua, sub lapide marmoreo sepultus jacet, prope cathedram episcopalem.

JONAS WHEELER.

Jonas Wheeler patriâ Oxonienſis, & Academiæ Oxonienſis alumnus, *Jacobo* Regi à ſacris, cùm per annos pluſquàm 18, Decanus extitiſſet Eccleſiæ S. Trinitatis Dublin. conſecratus eſt Dublinii in eccleſia S. *Patricii*, unà cum *Chriſtophero* nuper Archiepiſcopo Armachano, 8 Maii 1613. à *Thoma* Dublinienſi Archiepiſcopo, aſſiſtentibus *Georgio* Midenſi, *Gulielmo* Darenſi, & *Johanne* Laonenſi Epiſcopis. Mortem obiit grandævus (annos natus 97,) Dunmoræ, 19 Aprilis 1640, unde corpus Kilkenniam deportatum, ibidem in eccleſiâ cathedrali ſepultum eſt.

GRIFFINUS WILLIAMS.

Griffinus, al. *Griffithus Williams*, Carnarvonæ in Wallia natus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Cantabrigienſi, Decanus Bangorenſis, & *Carolo* primo regi à ſacris, epiſcopus Oſſorienſis conſecratus eſt Dublinii, in eccleſiâ S. *Patricii*, 26 Septembris 1641. De perſecutione, quam Novatorum factione ſuſtinuit, vide libellum à ſe Anglicè editum, anno 1664.

DE

DE Epiſcopis LEGHLINENSIBUS.

S. LASERIANUS.

SAnctus *Laſerianus*, al. *Molaiſre*, (non Abbas ille Devenisſhenſis de quo ſuprà ſit mentio, in S. *Edano*, ſed alius poſterior) filius Cairelli *de Blitha*, educatus eſt ad ætatem uſq; adultam, ſub S. *Murino* Abbate, cui mater ejus, (quæ Pictorum Regis uti fertur erat filia) illum inſtituendum tradidit. Poſteà Romam profectus, ibi 14 tranſegit annos, interea, S. *Gregorium* ſacras Scripturas exponentem audivit, & ab eo demùm in presbyterum ordinatus, in patriam reverſus eſt. Brevi poſteà Leghlinam pervenit, ubi S. *Cobanus* tunc præfuit Abbas, qui ei cœnobium ſuum ſponte cedens, ſibi & Monachis cellam alibi conſtruxit. Author vitæ S. *Munnu* Monachos 1500 *Laſeriani* regiminii hic ſubfuiſſe tradit, qui porrò aſſerit Synodum magnam in *Campo albo* habitam fuiſſe, & magnam ibi ortam contentionem inter S. *Laſerianum* & S. *Munnu*, de tempore Paſchalis obſervationis. Hâc verò Synodo habitâ uti videtur menſe Martio 630, ſed ſine optato ſucceſſu finitâ, *Laſerianus* Romam uſque, denuò iter ſuſcepit, ubi Honorius 1 eum *Præſulem conſeeravit, & revertenti* (ut in vita ejuſdem *Laſeriani* legimus) *Legationis in Hibernia officium commiſit*. Nec irrito ſucceſſu, nam poſt reditum in patriam, Paſchalis obſervationis ritum, ad Honorii monita, in auſtralibus Hiberniæ partibus, reformatum fuiſſe liquet. Vid. *Bed. Venerab.* Hiſt. lib. 3. Mortem obiit S. *Laſerianus* 14 Calendas Maias, anno Dom. 638, vel 639, & in eccleſia ſua, quam ipſe conſtruxerat, ſepultus eſt. In Synodo Dublinii celebrata, ſub *Alexandro Bicnaro* Archiepiſcopo Dublinienſi, Dies obitus S. *Laſeriani* (quod obiter adnoto)

adnoto) necnon dies obituum ſanctorum *Patricii*, *Brigidæ*, *Canici* & *Edani*, duplicibus feſtis, per Provinciam Dublinienſem, annumerati ſunt. Succeſſorum ejus memoria, ad Anglorum uſque adventum, (quod ſciam) fermè evanuit. In eorum indagine deſudent alii. Hi. 7. in Annalibus Hiberniæ memorantur.

Manchinus obiit 865.

Condla mac-Dunecan ob. 943. Is in dictis annalibus appellatur & epiſcopus & princeps Leghlinenſis.

Daniel deceſſit 969.

Cleirecus O-Muinic obiit 1048.

Condla O-Flain obiit 1113.

Sluagadus O-Catan obiit 1144.

Dungalus O-Cellaic vixit 1152.

DONATUS.

EX charta fundationis cœnobii Canonicorum beatæ *Mariæ Fernæ*, Donatum huic ſedi, circa annum 1158, præfuiſſe conſtat. Hic Templum cathedrale incendio deformatum, reſtauravit. Obiit Leghlinæ 1185, & in dicto templo ſepultus eſt. Poſt obitum ejus, vel ſedes diù vacavit, vel quis proximus fuit ſucceſſor, me latet.

JOHANNES.

Johannes, Monachus Ciſtertienſis, & Abbas cœnobii Roſeæ vallis, (quod vulgò Monaſter-Evin appellamus) canonicè electus anno 1198, per *Matthæum O-Heny* Caſſelienſem Archiepiſcopum, Hiberniæ Legatum, (*Joanne* Dublinienſi Antiſtite, Metropolitano ſuo in Anglia degente) confirmatus eſt anno inſequenti. Cæterùm adverſante *Hamone de Valoniis* Hiberniæ tunc temporis Juſtitiario, conſecratus non eſt, donec Romam profectus, ibi conſecrationem ab ipſo Papa obtinuit. Literas quas à Pontifice in ejus gratiam conſcriptas, ſecum in Hiberniam detulit, legas, ſi placet, in Decretalibus epiſtolis *Innocentii* 3. E vivis exceſſit circa annum 1201.

HERLEWINUS.

SUcceſſit illi *Herlewinus*, Monachus itidem Ciſtertienſis. Deceſſit 1216, ſi non, (ut annales Monaſterii B. *Mariæ* Dublin. habent) 1217, ac in eccleſia cœnobii Donbrothienſis, cujus magnam partem conſtruxerat, ſepultus eſt. Dedit is *Burgenſibus* veteris Leghlinæ *Burgagia*, (domicilia ſc. ſive tenementa) ibidem, unà cum *libera lege Brîſtolii*, duodecim denariis ex quolibet *Burgagio* ſedi annuatim reſervatis.

RICHARDUS

RICHARDUS FLEMING.

ANno 1217, in Episcopum consecratus est *Richardus* alias *Robertus Fleming*. Huic multum fuit negotii cum Priore Conaffensi, de prædiis quibusdam & decimis ad Episcopatum in Leixlia (quæ nunc pars est comitatus Reginæ) spectantibus. Lite verò compositâ; Episcopus prædia & decimas Priori cessit, reservatâ sibi & successoribus, annua 10 marcarum pensione, Leghlinæ pendendâ. E vita migravit 1226, cùm sedisset annos circiter 9.

GUILIELMUS.

Guilielmus, Archidiaconus Leghlinensis, in episcopum electus, assensum regium obtinuit 14 Novembris 1227. Huic & aliis anno 1231, potestas per delegationem à Papa concessa est, litem inter *Richardum de la Corner* electum Midensem, & Abbatem cœnobii beatæ *Mariæ* Dublinii, de decimis ecclesiarum quarundam, in diœcesi Midensi, componendi. Ei delegati decimas cœnobio assignaverunt, 20 libris annuatim sedi Midensi reservatis, ut ex compositionis formula (quam in registro dicti cœnobii habeo) constat. Obiit 1250, cùm hanc sedem administrâsset annis 23, & in ecclesia sua sepultus est.

THOMAS.

ELigendi licentiâ à Rege impetratâ 1250, Aprilis 21, Capitulo electus est *Thomas* quidam, qui eodem anno in Episcopum sacratus est. Canonicis hic primus Præbendas distribuit. Decessit 1275, Aprilis 25.

NICHOLAUS CHEVERS.

Nicholaus de Cheuers, Archidiaconus Leghlinensis, à Capitulo legitimè electus, assensum regium obtinuit 16 Novembris 1275. Cæterùm nec consecratus fuit, nec temporalibus restitutus, (quam ob causam non reperi) ante annum 1277. Vitam hanc reliquit grandævus, Julii 20, 1309, cùm annos sedisset 32. Illo defuncto, *Joannes Chevers* Decanus, & *Rodulphus de Brun*, Cancellarius Leghlinensis, chartas quasdam confecerunt, & sigillo Episcopi consignârunt, sed eâ fraude postea detectâ, pœnis condignis affecti sunt.

MAURITIUS de BLANCHVILL.

Mauritius de Blanchvill, Canonicus Leghlinensis, regiunè electus, in Episcopum confirmatus est Novembris 13, 1309. Episcopatum tenuit annos ferme 11. E vivis excessit 1320.

MILERUS le POER.

Licentia Regia impetrata, *Milerus le Poer*, Præcentor Leghlinensis, nobili ortus familia, in Episcopum à Decano & Capitulo electus 5 Novembris an. 1320, ab *Alexandro Bicknoro* Archiepiscopo Dublinensi confirmatus est 29 insequentis Januarii. Waterfordiæ deinde consecratus (teste *Ailmero*) die Paparum 1321. Præfuit hisce Ecclesiæ annos 20, & amplius.

GULIELMUS S. LEGER.

Gulielmus à S. *Leodegario* successit, & mortem obiit Avenione, sub initium Maii 1348.

THOMAS de BRAKENBERG.

Thomas de Brakenberg, ex ordine Minorum, Episcopus Leghlinensis per *Clementem* 6, renuntiatus, Temporalibus restitutus est 5 Augusti 1349. Defunctus videtur mense Julio 1360, consecrationis 11. Per triennium tum sedes vacavit.

JOHANNES YONG.

Johannes Yong, ecclesiæ Leghlinensis Thesaurarius, authoritate itidem Pontificia, hujus sedis constitutus Episcopus, ab *Edw.* 3. temporalium accepit restitutionem 21 Septembris anno regni 37, hoc est anno salutis 1363. In manenis suis, hic domos Episcopales sumptu non exiguo refecit. Sed biennio ante mortem, per rebelles Bonis omnibus spoliatus est. Decessit paulò ante exitum anni 1384, cùm sedisset annos 21, & amplius. Interim, anno nempe 1379, factus *Locum-tenens Alexandri Balscoti* Episcopi Midensis, Hiberniæ Quæstoris, & anteà, anno 1366, *Locum-tenens Johannis de Troy* Thesaurarii Hiberniæ.

JOH.

JOHANNES GRIFFIN.

Johannes Griffin, ex Cancellario Limericensi, Leghlinensis Episcopus factus 1385, hinc post 13 annos, ad Episcopatum Ossoriensem, per Papam translatus est, ubi exiguo præfuit tempore, uti suprà inter Ossorienses diximus.

RICHARDUS ROCOMB.

Richardus Rocomb, aliis *Bokum*, frater mendicans (nescio cujus ordinis) in Episcopum consecratus est 1399. Illo sedente, in urbe Leghlinensi 80 censebantur Burgenses. Posteà verò per clades bellicas Leghlina ita devastata est & direpta, ut hodiè tenuis est villa, in qua præter Ecclesiam cathedralem & ædes Episcopales, nihil fermè visu est dignum. *Richardum* quendam Episcopum Leglinensem resignâsse circiter 1420, nescio an *Richardus* noster fuerit, an aliquis recentior ejusdem nominis. Sedes posteà per biennium vacavit.

JOHANNES MULGAN.

SUccessit *Johannes Mulganus*, ecclesiæ de Lin in dioecesi Midensi Rector, à *Martino* 5, designatus, qui cùm ob provisionem Papalem, gratiæ Regis se submisisset, Temporalibus restitutus est 1422, 1 Septembris. Is in ecclesia sua 4 parvos Canonicos instituisse fertur. E vivis excessit Leghlinæ, 1431, cùm sedisset annos 9, & in ecclesia sua, juxta tumulum Gurmundi Dani, sepultus est.

THOMAS FLEMING.

Thomas Fleming S. Theologiæ Baccalaureus, ordinis Minorum, (ut *Waddingus* habet) à Papa provisus 4 Calend. Maii 1430, si verò Doulingo credimus, Canonicus fuit Augustinianus S. *Johannis* Euangelistæ Kilkenniæ, & Leghlinæ obiit, corpus verò Kilkeniam, sicut in testamento suo mandaverat, deportatum, ibidem in cœnobio sui ordinis sepultum est. Sub initium præsulatus, *Nicholao Cloall* Decano Leghlinensi petente, antiquus Prioratus Leghlinensis, authoritate *Eugenii* 4 Papæ, dissolutus est. Sedit *Thomas* ad annum usque 1458, sed quam diù posteà, haud comperi.

MILO ROCH.

Milo Roch, alias *de Rupe*, nobili ortus prosapia, hanc sedem Papæ dono obtinuit. Vir Musices & Poëtices studiis addictior, quam par erat. Inter hunc & diocesis suæ clerum multæ exortæ sunt lites, in quibus tamen Episcopus tandem succubuit. E vivis excessit anno Domini 1489, in ecclesia cathedrali, ante imaginem B. *Laseriani*, sepultus est. Calcerandum de Andrea, ord. Minorum, post mortem *Johannis*, episcopum provisum Leghlinensem 17 Calend. Novembris 1484, asserit *Lucas Waddingus*. Hunc verò inter episcopos hujus sedis non numeravi, quia constat *Milonem Rocheum* tunc præfuisse.

NICHOLAUS MAGWIRE.

Nicholaus Magwire, in Idrona natus, sed in Oxoniensi Academia educatus, in patriam reversus, factus est Præbendarius de Hillard in hac diocesi. Ob eruditionem eâ ætate non vulgarem, & concionum assiduitatem, in summa fuit apud Hibernos veneratione. Cùm nondùm 31 annos natus esset, provisione Pontificiâ ad hunc Episcopatum evectus est, pridiè Calendas Maii, aliis 21 Aprilis, 1490. Multa incepit opera, sed morte abreptus, nulla perfecit, nisi Chronicon, quod mihi nondùm contigit videre. Obiit 1512, Vitam ejus scripsit *Thomas Brownus*, qui ei sacellanus fuerat.

THOMAS HALSAY.

Thomas Halsay, Anglus, Juris utriúsque Doctor, & Hiberniæ Protonotarius Pontificius successit, à Julio 2 provisus, ad rogatum *Christophori Bambrigii* Archiepiscopi Eboracensis & Cardinalis, Legati *Henrici* VIII Regis Angliæ tunc Romæ munus obeuntis. Is annis 1515 & 1516, interfuit Concilio Lateranensi. In ejus absentia, Diocesin hanc administravit vicarius ejus generalis *Carolus Cavenagh*, Abbas Duiskensis. *Halsaius* ipse sedem suam nunquam (ut videtur) vidit, sed post reditum in Angliam, decessit Westmonasterii, circa an. 1519, & ibidem, in ecclesia Hospitalis Sabaudiensis, tumulo conditus est. Ubi hæc verba leguntur inscripta, *Hic jacet* Thomas Halsay, *Leghlinensis episcopus, in basilica S. Petri Romæ, nationis Anglicanæ Pœnitentiarius, summæ probitatis vir, qui hoc solùm post se reliquit, vixit, dum vixit bene:* sub eodem tumulo sepultus etiam jacet *Gavinus Douglas*, episcopus Dunkeldensis in Scotia, peste correptus, 1521.

MAURITIUS

MAURITIUS DORAN.

SUccessor ejus *Mauritius Doran* (alias *O-Doran*) ordinis vel Minorum vel Prædicatorum, in Lexia natus, homo ob mores probatissimos & concionum facundiam, multùm laudatus, sedit annum unicum & menses 8. Anno tum 1525, à *Mauritio Cavanagh* ecclesiæ suæ Archidiacono, in via, prope locum dictum Glen-Reynold, sceleratissimè interfectus est. Occasio traditur, quod Episcopus insolentem Archidiaconi pervicaciam, & crimina nescio quæ alia, acriùs increpârat, atque aliter corrigere minitârat. Homicida posteà, (*Geraldi fitz Gerald* comitis Kildariæ, Hiberniæq; Deputati jussu) in ipso loco ubi scelus illud perpetraverat, in patibulo suspensus est, & viscera deinde combusta.

MATTHÆUS SANDERUS.

M*Atthæus Sanderus*, prope Pontanam natus, in Episcopum Leghlinensem consecratus est 1527. Hic chorum ecclesiæ cathedralis S. *Laserani* de novo construxit. Fenestram porrò erexit australem, & vitro obduxit. Decessit 1549, Decembris 24, & in eadem Ecclesia, sub lapide marmoreo sepultus est.

ROBERTUS TRAVERS.

QUi successit, *Robertus Traversius*, consecratus 1550, ante 5 annos exactos, sub *Maria* Regina, quòd conjugatus, per *Georgium Dowdallum* Archiepiscopum Armachanum, *Gulielmum Walsheum* Midensem & *Thomam Leverum* Darensem Episcopos, deprivatus est. Quamdiù posteà, aut ubi vixerit, non comperi, videtur autem obiisse regnante *Maria*. Hunc *Thaddæus Doulingus* loci Cancellarius, hominem vocat crudelem, avarum & cleri sui oppressorem.

R r THOMAS

THOMAS FIELD.

IN ejus locum à Papa ſuffectus eſt *Thomas Field*, vel *O-Fibel*, Minorita, in comitatu Corcagienſi natus. Obiit anno 1567, die Veneris ante Dominicam Palmarum, cùm ſedíſſet anno plùs minùs 12, & ſub eodem tumulo ſepultus eſt quo ejus prædeceſſor *Sanderus*.

DANIEL CAVENAGH.

EOdem anno, *Daniel* (alias *Donaldus*) *Cavenagh*, Dublinii, in Eccleſia S. *Patricii*, conſecratus eſt, ab *Hugone* Dublinienſi Archiepiſcopo. Is non pauca ſedis ſuæ prædia in plurimos annos elocavit, reditibus quibuſdam exiguis, ſucceſſoribus ſuis reſervatis. Obiit 4 Aprilis 1587.

RICHARDUS MEREDYTH.

MEnſe Aprili 1589, cùm per biennium ſedes vacáſſet, in Epiſcopum conſecratus eſt *Richardus Meredyth, Wallus*, ſacræ Theologiæ Baccalaureus, ex Academia Oxonienſi, *Joanni Perotto* Eq. aur. Hiberniæ Proregi à ſacris, propter quem multa paſſus eſt. Ædes epiſcopales Leghlinæ hic reſtauravit. Obiit Dublinii 1597, Auguſti 3, & in Septentrionali parte Eccleſiæ *Divi Patricii*, (cujus Decanus fuit) tumulo marmoreo conditus jacet, prope campanile.

ROBERTUS GRAVE.

Robertus Grave, ex Decano Corcagienſi, Epiſcopus factus eſt Fernenſis & Leghlinenſis anno 1600. eodemque anno (uti anteà inter Fernenſes diximus) in ipſo portu Dublinienſi ſubmerſus eſt.

NICHOLAUS STAFFORD.

Nicholaus Stafford, Cancellarius Fernenſis, Dublinii conſecratus eſt 1600, & Wexfordiæ, è vita migravit 1604, Novemb. 15.

THOMAS

THOMAS RAM.

Thomas Ramus, Decanus Fernensis consecratus est Dublinii in ecclesia S. Trinitatis Maii 2, 1605 (Dublinensi sede vacante) ab *Henrico* Archiepiscopo Armachano, assistentibus *Milero* Cassellensi & *Gulielmo* Darensi præsulibus. Obiit Dublinii, 24 Novembris 1634.

GEORGIUS ANDREW.

Georgius Andrew, Decanus Limericensis successit, & obiit 1648. De quo plura suprà, inter Fernenses.

ROBERTUS PRICE.

Robertus Price, legum Doctor, ex Academia Dublinensi, Decanus Connorensis, consecratus est Episcopus Fernensis & Leghlinensis, 27 Januarii (stylo Anglicano) 1660.

DE ARCHIEPISCOPIS Caſſelienſibus.

CORMACUS CULINANI filius.

POſt *Ænguſæ* (*Naſrachi* filii) Regis *Momoniæ* converſionem ad Chriſtianam religionem, S. *Patricii* prædicatione, Populum Caſſelienſem S. *Albei* & ſucceſſorum ejus juriſdictioni, qui Imelacæ (ad 12 à Caſſelia lapidem) ſederunt per aliquot ſecula ſubfuiſſe, non eſt cur dubitemus: quâ de re poſteà pluribus, inter Imelacenſes. Quis autem primus fuerit Eccleſiæ Caſſelienſis Epiſcopus, haud facilè quis deſignarit. De S. *Alberto*, dicto Archiepiſcopo Caſſelienſi, qui relictâ ſede ſuâ, unà cum fratribus ſuis *Erardo* & *Hildulpho*, aliiſq; 19 ſociis, ſub medium *Seculi* VIII, in Germaniam profectus dicitur, apud Hiſtoricos fit mentio. *Johannes Colganus*, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad 8 Januarii, exiſtimat *Albertum* eum Epiſcopum fuiſſe eccleſiæ Imelacenſis, cujus Epiſcopi olim ſolebant Archiepiſcopi Momonienſium vocari, & ideò Archiepiſcopum Caſſelienſem vocatum, quia fuit Archiepiſcopus Momonienſium, quorum poſteà Metropolis erat Caſſelia. Et certè, (ut quod ſentio dicam) tota Hiſtoria *Alberti* hujus & fratrum ſuorum, quoad circumſtantias, magnâ involuta eſt obſcuritate. Pergamus igitur ad *Cormacum Culinani* filium. Is ſtemma ſuum duxit à jam dicto *Ænguſa* Rege, ac regnum iniit anno Dom. 901, & (quod mireris) Epiſcopi etiam Caſſelienſis munus obivit. Morem eum apud Hibernos illo ævo viguiſſe, Scriptores patrii luculenter oſtendunt. Speciatim inter *Cormaci* prædeceſſores, *Olcobarus*, qui obiit anno 851, & *Cenſeladus*, qui anno deceſſit 872, ſimul Reges fuerunt Caſſelienſes & Antiſtites Imelacenſes. At non ſine exemplo. Nam inter

Judæos

Judæas, Jonathan, Simon & *Johannes Hyrcanus*, tàm *Ethnarchiâ* (seu populi principatu) quàm Pontificatu, simul gavisi sunt, & qui Regiis diadematibus inter eos ornati fuerunt, *Aristobulus* nempè, *Alexander Jannæus* & alii, uno etiam eodemq; tempore, summi fuerunt Pontifices. Si de antiquis ethnicis loquamur, habemus ipsos Imperatores Romanos, Pontifices simul Maximos: Inter Reges itidem, Anium Regem Deli de quo *Virgilius*, Æneid 3,

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos.

Et Ovid. Metamorphos. 13.

Hunc Anius, quo Rege homines, Antistite Phœbus
Ritè colebatur, temploq; domoq; recepit.

Item, *Mercurium Trismegistum, sive ter-maximum.* Qui (si *Alex.* ab *Alexandro* credamus, *Genialium* dierum lib. 2, cap. 8,) *inde nomen tulit, quòd Philosophus Maximus, Sacerdos ac Rex Maximus esset.* De hac re, vid. plura apud Platonem, in Politicis. Sed ad nostra jam redeamus. Meminit *Cormaci* hujus, *Caradocus Lhancarvanensis*, in *Chronico* suo *Cambriæ*, ceu viri pii, sed *Carmotum filium Cukemani Regem & Episcopum Hiberniæ*, sive is, sive qui Anglicè edidit, perperàm appellat. Anno DCCCCVI, *Flanus Melsechlini* filius Rex Hiberniæ, coacto exercitu, in Moinoniam irruit, eamq; Provinciam, ad Limericum (al. Lumniacum) usq; diripuit & vastavit. Cæterùm *Cormacus*, qui tempori cedens, fugâ evaserat, hâc injuriâ irritatus, anno insequente, Midiam cum copiis ingressus, *Flanum* prælio fudit, eumq; ad conditiones quasdam observandas, sibi obsides tradere coëgit, iisq; acceptis, Casseliam reversus est. Anno verò DCCCCVIII (al. DCCCCVII) *Flanus*, ut cladem nuper acceptam ulciscereturr, pactis & obsidibus traditis non obstantibus, cum Lagenensi & Conatiensi Regibus egit, ut conjunctis viribus Momonienses adoriretur, eóq; successu, ut maximis copiis instructus, signa adversus *Cormacum* extulerit: Momonienſium exercitui in loco dicto *Moy-albe*, obviam factus est, ubi Augusti die XVI, post longam & cruentam pugnam, cessit ei victoria, *Cormaco* Rege ibidem occiso. Casi etiam cum eo feruntur Duces ferè omnes primarii, seu mavis Regui, inter quos nominantur *Fogertachus* Kerriensis & *Kellachus* Osseriensis. Sic Annales Hibernici. Cæterùm *Caradocus Lhancarvanensis*, *Cormacum* sub hoc tempore, à Danis in prælio occisum, tradit. Meminì etiam me legisse in Codice quodam MS. Bibliothecæ Cottonianæ, eum à bubulco quodam occisum, ad *Beanree* prope Leghlinam, dum ibidem, pro exercitu suo tunc pugnante, ad Deum preces fundens in genua procumberet. Tanta est de ejus cæde discrepantia. Ego verò non possum non assentiri, tam Annalibus Ultonienſibus, quàm iis Cœnobii Canonicorum Inis-fallanæ in agro

Kerriano, qui à dicto *Flani* exercitu, victum eum & occisum tradunt. Corpus ejus Casseliam delatum, ibidem tumulo conditum est. Vir fuit eruditus & Antiquitatum Hibernicarum scientissimus. Scripsit linguâ suâ patriâ, Historiam, *Psalter-Cashel* vulgò dictam, quæ etiamnùm extat, & magno habetur in pretio. Notandum hìc Cassebium sedem fuisse olim præcipuam Regum Momoniæ, & unam è primis Hiberniæ Synodis, à S. *Patricio*, *Albeo* & *Declano*, ibi habitam, tempore *Æneasæ* regis, de quo suprà. A *Cormaco*, ad *Donatum* usque *O-Lonargan*, qui primus *Pallio* usus est, quatuor duntaxat, qui huic sedi præfuerunt, mentionem reperi.

Donaldus (al. *Dofnaldus*) *O-Hene*, vel *Buahein*, obiit 1090, vel 1097.

Milerus (al. *Malmurius*) *O-Dunan*, obiit *Clonardæ*, 9 Calend. Januarii 1148, ætatis suæ 79.

Melisa O-Fogladæ, obiit 1151.

Donatus O-Conarg, obiit 1137.

Hos omnes, excepto *Melisa*, licèt ante usum Palliorum, Historici nostri Archiepiscopos nominant.

DONATUS O-LONARGAN.

Donato sedente, *Johannes* Paparo, Presbyter Cardinalis tituli S. *Laurentii* in Damaso, anno 1152, ab *Eugenio* 3 Pontifice, in Hiberniam Legatus missus 4 *Pallia* secum detulit, quæ in Synodo habita mense Martio, 4 Archiepiscopis tradidit, *Gelasio* nimirum Armachano, *Gregorio* Dublinensi, *Donato* nostro Casseliensi & *Edano* Tuamensi, Præsulibus. *Donatus* hic, in Annalibus Prioratus Insulæ omnium Sanctorum, quæ Shenano fluvio circumfunditur, in occiduo limite comitatus Longfordiensis, dictus *Archi-senior Momoniæ, vir doctus & liberalis, præsertim erga egenos, in senectute bona quievit, anno* 1158.

DONALDUS O-HULLUCAN.

Successit illi *Donaldus O-Hullucan*, cujus tempore (anno nempè 1172) celebratum est Concilium Casseliense, Præsidente *Christiano O-Conarchy*, Episcopo Lismorensi & Legato Pontificio, idque mandato Regis *Henrici* secundi. Qua de re, consulas *Giraldum Cambrensem* & *Rogerum Hovedenum*. Mortem obiit *Donaldus* anno 1182. Ejus tempore, anno nempe 1179, Cassella flammis incensa est.

MAURITIUS.

MAURITIUS.

SUccessorem *Mauritium*, *Giraldus* Cambrensis *virum* appellat *literatum & discretum*, ut videre est in Topogr. ejus Hiberniæ, dist. 3. cap. 32, ubi de accurato ejus dicto loquitur.

MATTHÆUS O-HENEY.

Matthæus O-Heney, Monachus Cistertiensis, Archiepiscopus fuit Casselensis & Legatus Pontificis anno 1194. Tunc enim testis fuit chartæ *Donaldi O-Brien* Regis Limericensis, quâ concessit *Brictio Lumnicano* (sive Limericensi) *Episcopo suisque successoribus, cleroque S.* Mariæ *Limerici, in liberam & perpetuam eleemosynam, terram Mungram* (aliàs Mungret) &c. ut ex Regesto ejusdem Ecclesiæ constat. Non possum non suspicari Archiepiscopum illum Casselensem, de quo suprà diximus qui in impresso codice *Giraldi* Cambrensis, de Topographia Hiberniæ, *Mauritius* appellatur, & istum, unum eundemque fuisse hominem. Certè *Stanihurstus* & *Hanmerus*, ubi de aculeato ejus responso, ex *Giraldo*, loquuntur, nescio quibus Manuscriptis usi, *Matthæum* vocant. Et exemplar MS. *Giraldi*, quod Oxoniæ in Bibliotheca publica vidi, *Thaddæum* habet. Scripsit hic (præter ea quæ petierunt) vitam S. *Cuthberti*, qui Kehantsiæ natus, postquàm multos annos sub Eata & Boisillo Abbatibus, in cœnobio Mailrosensi transegerat, in Episcopum consecratus est Lindisfarnensem, anno 684, ac in Sanctorum numerum postea relatus. Hæc obiter. *Matthæi* hujus Elogium quod in Annalibus Monasterii Beatæ *Mariæ* Dubliniensis reperi, non pigebit ascribere. *Anno Domini* MCCVI, *Matthæus Archiepiscopus Casselensis, totius Hiberniæ Legatus, vir præ cæteris Hibernicensibus sapientissimus & religiosissimus, post multarum Ecclesiarum fundationem, post victoriam de antiquo hoste in multis miraculis habitam, in monasterio de sancta Cruce, in agro Tipperariensi, spontaneâ voluntate, universâ pompâ sæculi spretâ, felicissimè quievit.* Et hæc de *Matthæo O-Heney*.

DONATUS O-LONARGAN.

Donatus (vel secundùm Annales Ultonenses) *Dionysius O-Lonargan*, Monachus itidem Cistertiensis, successit. Huic Pallium dedit *Innocentius* 3, & possessiones sedis Casselensis confirmavit 8 Idus Aprilis 1210, ut ex epistolis ejusdem *Innocentii* à *Fra. Bosqueto* editis 1635, liquet. Interfuisse Concilio Lateranensi Romæ 1215, & ibidem obiisse tradunt Annales Ultonienses. Tumulatum asserunt alii in ecclesia cœnobii Cistertiensis,

ad cornu Euangelii magni altaris, cum hoc epitaphio barbariem quidem redolente, quod tamen adjicere non pigebit.

Hîc duo Roberti, Lingonenſis, Cabilonis,
Pontifices, & Petrus Portuenſis.
His eſt Donatus Caſſellenſis ſociatus,
Præſul honoratus, noſtriq; comes Monachatus.

DONATUS O-LONARGAN.

QUi ſucceſſit anno 1216, *Donatus*, aliàs *Donchadus O-Lonargan, Burgum dicitur feciſſe apud Caſſel, & dediſſe Burgenſibus Burgagia*, &c. Is (licentiâ abdicandi à Papâ impetratâ) Pontificatu ſe ſponte abdicavit 1223. Superfuit abdicationi annis novem, obiit nempè 1232.

MARIANUS O-BRIEN.

MArianus *O-Brien*, ab Eccleſiâ Corcagienſi ad Caſſelienſem anno 1224 tranſlatus eſt. Sub initium tranſlationis, nempe Nonas Maii 1224, *Honorius* 3 Papa *duodenarium Canonicorum numerum* in Eccleſiâ cathedrali Caſſelienſi, per Bullam ſuam confirmavit. Huic, & ſucceſſoribus, *Hen.* III. Rex Angliæ *remiſit & quietam clamavit*, (ſic enim in ejus diplomate legitur) *novam villam Caſſeliæ, & conceſſit eandem villam, de cætero, de ſe & hæredibus ſuis tenendam, in liberam, puram, & perpetuam eleemoſynam, quietam ab omni exactione & ſervitio ſeculari. Teſtib. Joſcelino Bathon. Thoma Norwicenſi, & Waltero Carleolenſi Epiſcopis, &c.* XV Novembris regni ſui 13, hoc eſt, anno Dom. 1228. Eandem mox Villam ipſe Marianus Præpoſito, & duodecim Burgenſibus ſivè conceſſit, ſive confirmavit, penſiunculis quibuſdam ſedi ſuæ reſervatis; viz. *ex Villâ, 6 lib. ex Hundredo & curiâ, 13 ſol. 4 den. Furno, & macello exceptis.* Hujus licentiâ, *David le Latimer* miles (Seneſcallus) leproſis Procetrophium, ſive hoſpitale Caſſeliæ conſtruxit, ubi filiam ſuam leproſam abdidit. Illud pòſt, *David mac-Carwill* Monaſterio à ſe conſtructo, conjungi & aduniri curavit. Anno deinde 1231, in itinere verſus Romam, in morbum incidit graviſſimum, & in cœnobio Ciſtertienſi, morti vicinum ſe credens, habitum Monachalem ſuſcepit. Cæterùm recuperatâ priſtinâ ſanitate, & negotiis Romæ confectis, in patriam rediit, ubi quinquennio pòſt, è vita migravit, in Monaſterio Surienſi, quod vulgò *Iniſlaunaght* vocitamus, ac ibidem ſepultus eſt.

DAVID

DAVID mac-KELLY.

David mac-Kelly, ex Caſſelienſi Decano, Præſulatum adeptus eſt Clonenſem, & inde ad Caſſelienſem Archiepiſcopatum tranſlatus eſt, anno 1238. Dum adhuc Decanus eſſet, ſodalitio ſe dedit fratrum Prædicatorum Corcagiæ: è quorum grege, (poſteà Archiepiſcopus) cœnobiolum (quod Caſſeliæ poſuerat 1243) repleuit. Pacti exemplar facti inter Archiepiſcopos Dublinienſem & Caſſelienſem & eorum ſuffraganeos, *contra Armachanum Archiepiſcopum, in cauſa maximè Primatiæ*, extat in Regeſto Archiepiſcopi Dublinienſis, vocato, CREDE MIHI. Exceſſit ex hac vitâ 2 Martii 1252, vel (ſi initium anni deducas à Calendis Januarii) 1253. Ad quem annum ſic Monachus Buellienſis, (cum his ipſis verbis Annales ſuos terminans.) *David mac-Kelluig Archiepiſcopus Caſſelienſis, & Alin O Sulivan Epiſcopus Liſmorenſis quieverunt.* Tumulatum ferunt in capellulâ Apoſtolorum, (quæ ingredientibus chorum à ſiniſtris ni fallor ſita eſt) forte in Septentrionali pariete ejuſdem, ubi ſtatuam vidi Pontificis (ſpecioſam profectò) tumulo inſculptam.

DAVID mac-CARWILL.

LIcentiâ Regiâ impetratâ 1253, (Aprilis 4) in ſucceſſorem eligitur *David mac-Carwill*, Decanus itidem Caſſelienſis, quam electionem *Hen.* 3. Rex eâ lege confirmavit, (19 Febru. 1254,) ut intra tempus præſcriptum, ad ſe *veniret, & fidelitatem debitam* præſtaret. Hic Cantariam S. *Nicholai* Caſſeliæ fundavit. Cœnobium quoque poſuit Ciſtercientibus prope Caſſeliam, vulgò *Hore-Abbey*, & de Rupe *Caſhell* dictum: quod Benedictinorum (quos expulerat) reditibus dotavit. Conſtructionis cauſam ridiculam, ex Archivis Regiis (Placit. ſc. ann. 7. *Edw.* 2.) quæ in charto-philacio Birminghamiano aſſervantur, ſic legas: *Tempore Davidis mac-Carwill Archiepiſcopi Caſſel. fuit quædam Abbatia prope Eccleſiam Cathedralem S. Patricii Caſſeliæ, nigrorum Monachorum, fundata in honorem beatæ Mariæ: Et cùm prædictus David nunciâſſet matri ſuæ, quod videbatur ei in ſomnio, quòd præfati nigri monachi caput ſuum voluerunt amputare, de conſilio matris ſuæ, monachos illos amovit, & terras eorum & poſſeſſiones dedit novæ Abbatiæ, quam fundavit.* Hanc, monachis repleuit è cœnobio Mellifontis. Perperàm igitur in Catalogo Monaſteriorum Ciſtercienſium, vivente *Divo Bernardo* fundatorum, (qui extat inter opera S. *Bernardi*, apud *Joh. Keerbergium* excuſus anno 1616,) locum habet Monaſterium hoc de Rupe Caſſel: Siquidem inter obitum S. *Bernardi*, & *Davidis* hujuſce electionem, anni centum effluxerunt. Sed hæc obiter. Paulò pòſt, injurio-

ſiùs dicitur tractâſſe Keranum Decanum Caſſelienſem, atque protervè & inſolentèr alia multa feciſſe. Anno 1278, in Angliam trajecit, ut de criminibus objectis, ſe apud Regem purgaret; ubi cùm per biennium hæſiſſet, in gratiam Regis receptus eſt. Poſt reditum, novam ſubodoratus criminationem in ſe comparatam ab inimicis, iterum in Angliam ſolvit, ubi ita ſe geſſit, ut eum Rex in priſtinam gratiam receperit. Mortem obiit grandævus, 1289, neſcio an in Monaſterio à ſe conſtructo, an in Eccleſiâ cathedrali, ſepultus. Author Annalium Montis *Fernandi Davidem* hunc, habitum Ciſtertienſis monachi ſuſcepiſſe tradit, 1269, eóque anno fundâſſe videtur Monaſterium de *Rupe Caſſel*, vel potiùs à Rupe, ad locum vicinum tranſtuliſſe. Cœnobio B. *Mariæ de Kenlis* in Oſſoria appropriavit eccleſiam de Moy-deſſell, unà cum capella de Kilmeinenan, tertiâ parte fructus vicario ibidem reſervatâ.

STEPHANUS O-BROGAN.

Stephanus O-Brogan, Archidiaconus Glendelacenſis, patriâ Ultonienſis, à Decano & capitulo electus, & à Pontifice confirmatus, Temporalium accepit reſtitutionem 26 Martii *Edw.* 1. anno decimo nono, id eſt, 1291. Sedit annos pluſquàm undecim. Obiit ſub initium Auguſti, 130[illegible], in Eccleſiâ ſuâ ſepultus: unde corrigendi ſunt Annales Ultonienſes, qui tempus obitus ejus ad annum 1298, referunt.

MAURITIUS mac CARWILL.

Mauritius mac-Carwill, Archidiaconus Caſſelienſis, à Decano & capitulo electus, & à Rege poſteà confirmatus 17 Maii 1303, Romam properat confirmationem Pontificiam petiturus. Ibi (ni fallor) ſacratus eſt & Pallio donatus: In patriam deinde reverſus, Temporalibus (ut loquimur) à rege reſtitutus eſt 18 Julii 1304. Hujus licentiâ, *Gualterus Multoc* fratribus *Auguſtinianis*, *Fetherdæ* ſedem molitus eſt. Interfuit *Mauritius* Parlamento Kilkenniæ coacto, 1309, & ſub finem ejuſdem, unus fuit ex Præſulibus illis (ut id obiter annotemus) qui duodecimo die Februarii, in Eccleſiâ cathedrali S. *Canici* Kilkenniæ, præſentibus *Joanne Wogan* Hiberniæ Juſtitiario, *Richardo de Burgo* comite Ultoniæ, *Joanne* filio *Thomæ*, (quem poſteà *Edwardus* ſecundus comitis Kildariæ titulo ornavit) *Joanne de Barry*, *Mauritio* de Rupe-forti, (ſive *Rochſort*) & aliorum nobilium numero permagno, eorum conſenſu, ſingulis ſub anathematis pœnâ interminati ſunt, nè Ordinationes tunc temporis in Parlamento editas violarent. Obiit anno 1316, circa 25 Martii, conſecrationis ſuæ anno 13.

GULIEL.

GULIELMUS filius JOANNIS.

DEfuncto *Carwillo*, ſucceſſor deſignatur à Decano & potiore parte Canonicorum Caſſelienſium, *Joannes mac-Carwill*, Epiſcopus Corcagienſis, ab altera verò *Thomas O-Lonchy* Archidiaconus Caſſelienſis. Utráſque electiones Papa rejecit, ac Archiepiſcopatum contulit *Gulielmo fitz-John*, Epiſcopo Oſſorienſi, viro certè, ob plurimas animi dotes, eo ſeculo, quovis honore digno. Canonicus hic primùm fuit Kilkennienſis, ac in Epiſcopum Oſſorienſem legitimè electus, conſecrationem accepit (ut habet *Clinnus*) *Kilkenniæ* 1302, *Dominicâ infra Octavas Epiphaniæ*. Illam Eccleſiam cùm per aliquot annos laudatè rexiſſet, Caſſeliam tranſlatus eſt menſe Februario (juxta computationem Anglicanam) 1317, annoque inſequente, uno eodemque ferè tempore, Hiberniæ conſtituitur & Cuſtos & Cancellarius. (Epiſcopatu Oſſorienſi interim à Papâ *Richardo Ledred* Minoritæ Londinenſi conceſſo.) Illius tempore, urbs Caſſelienſis mœnibus cincta eſt. *Obiit* 1326 (ſecundum *Clinnum*) *in craſtino exaltationis ſanctæ Crucis, vir potens, dives, ac venerabilis in populo & in clero.* Hunc puto fuiſſe *Gulielmum* illum Epiſcopum Oſſorienſem, qui appropriavit cœnobio & conventui S. *Joannis* Euangeliſtæ Kilkenniæ, Eccleſiam de Claragh, reſervatâ Vicariis collegiatis S. *Canici*, annuâ penſione 20 ſolidorum.

JOANNES O-CAROLL.

Joannes O-Caroll antedictus, (quem etiam *mac-Carwill* in Archivis Regiis appellatum comperi) Eccleſiæ cathedralis S. *Finbarri* (ſive *Barri*) Corcagiæ Decanus, totius capituli conſenſu, in illius Eccleſiæ Epiſcopum poſtulatus, aſſenſum Regium obtinuit Junii duodecimo 1302, & confirmationem Archiepiſcopi Caſſelienſis menſe Julio inſequente. Quam annos viginti moderatus, *Thomæ de S. Leodegario* (ſive *S. Leger*,) in Epiſcopatu Midenſi, per Papam deſignatus eſt ſucceſſor. Unde poſt quinquennium (nempè decimo octavo Julii 1327,) non poſt *duos annos & dimidium* (ut quibuſdam placet) Caſſeliam migravit. Anno tandem 1329, *circa feſtum S. Petri ad vincula* (inquit *Joannes Clynnus*, in chronico ſuo nondum typis excuſo) *Londoniis obiit, à Curiâ Romanâ rediens.* Poſt ejus obitum, undecim Manneria ad Archiepiſcopatum tunc temporis ſpectantia, *in manum Regis* (ut loquimur) *ſunt ſeiſita.* Sed longè maxima eorum pars, poſterioribus temporibus, ab Eccleſia fuit alienata, penſionibus neſcio quibus annuatim reſervatis.

GUALTERUS le REDE.

Walterus le Rede, (sive *Rufus*) Canonicus primùm, deinde Episcopus Corcagiensis, hûc per Papam (qui *Provisionem Ecclesiæ Cassiliensis, Joanne adhuc vivente, suæ & Apostolicæ sedis dispositioni, cùm ipsam vacare contingeret, eâ vice se reservâsse* dicebat) anno 1330, translatus est, & Augusti 19, Temporalibus restitutus, sub initium deinde insequentis Februarii decessit. *Walterus* hic paulò ante obitum, decimas quasdam Vicariis Choralibus concessit. Et cùm adhuc Episcopus esset Corcagiensis, Vicariis ibidem habitationem commodam assignavit.

JOANNES O-GRADA.

ILlum sequutus est *Joannes O-Grada*, Cassiliensis Thesaurarius, quandóq; Rector de Oguslin in dioceli Laonensi, à Decano & Capitulo electus, & à rege, litteris Pontifici commendatus, ejus provisione, in hac sede collocatus, 1332, *vir magnæ discretionis & industriæ*, ut loquitur author Annalium Nenaghtensium. Decessit Limerici, 8 Idus Julii 1345, in habitu fratrum Prædicatorum, & ibidem in eorum cœnobio sepultus. est Ecclesiam suam is magnis donis ornavit.

RADULPHUS KELLEY.

R*Adulphus Kellæus*, Pontanæ sive Droghedæ natus, educatus verò Kildariæ, in cœnobio Carmelitarum, ubi eorum sodalitio se dedit. Anno 1336, pro ordine suo Prolocutor evasit, & sub *Petro de Casa* generali Magistro, generalis Advocatus, annoq; 1345, à *Clemente* 6 provisus est Archiepiscopus Cassiliensis. Temporalia illius sedis accepit à rege (ut in Archivis Scaccarii patet) quarto Aprilis *Edwardi* III. anno vicesimo. *Kellæus* hic circa pacem & reditus suæ Ecclesiæ, multùm desudavit. Cassiliæ decessit (secundùm Annales Nenaghtenses) anno 1361, *in festo sancti Edmundi Regis & martyris*, Novembris nimirùm vicesimo, in Ecclesiâ Patriciana ibidem sepultus. Scripsit *de Jure Canonico lib. unum, Epistolarum familiarum lib. unum*, vel (ut alii) *lib.* 7. & alia quædam quæ nunc non extant. Meminit porrò illius *Antonius Possevinus*, in Apparatu sacro, sed *Radulphum Kullei* vocat, & addit Anglum fuisse, ut nomine, sic patriâ, hallucinatus.

GEORGIUS

GEORGIUS de RUPE.

PRoximus illi ſucceſſiſſe perhibetur *Georgius de Rupe*, (ſive *Roch.*) De cujus exitu intempeſtivo, in Annalibus fratrum Minorum Nenaghtenſium, illis ipſis temporibus conſcriptis, ſic legimus, *Anno Dom.* 1362, *ſubmerſus eſt Dom. Georgius de Rupe, Archiepiſcopus Caſſelienſis*, in reditu fortè à Curia Romana. Cæterùm, vel non fuit conſecratus, vel ſubmerſus eſt ante Temporalium reſtitutionem. Nam in Archivis Regiis, *Thomam*, tum nuper Archiepiſcopum Tuamenſem, Temporalia hujus ſedis, tanquam vacantis à morte *Radulphi*, accepiſſe comperi.

THOMAS O-CARROL.

SEdem tum per aliquot annos vacâſſe conſtat. Anno tandem 1365, Papali Bullâ renuntiatus eſt qui ſuccederet *Thomas O-Carroll*, Archiepiſcopus Tuamenſis, quartus ejuſdem cognominis qui huic ſedi præfuit. Vir, ob multiplicem eruditionem & prudentiam memorandus. Ex familiâ *O-Carrollorum* in Elienſi territorio, (modò comitatui Regis annexo) oriundus. Obiit Caſſeliæ 1373, Februarii 8, in Eccleſiâ ſuâ Cathedrali ſepultus. Poſt ejus obitum, cuſtodia Temporalium Archiepiſcopatus commiſſa fuit *Stephano de Valle*, Epiſcopo Midenſi. De *O-Carrollo*, filo, plura inter Tuamenſes.

PHILIPPUS de TORRINGTON.

DEfuncto *Thoma*, tranſlationis ſuæ anno octavo, *Gregorius* XI. Papa, ſedem hanc per proviſionem contulit *Philippo de Torrington* Minoritæ, S. Theologiæ Doctori; cui, poſt ſubmiſſionem & agnitam Regi fidelitatem, Temporalia Archiepiſcopatus ſunt reſtituta 19 Septembris anno 48 *Edwardi* 3, id eſt, anno Dom. 1374. Brevi poſteà à rerum potito *Richardo* ſecundo, ad *Urbanum* ſextum miſſus eſt Legatus. De ſucceſſu legationis, in hiſtoriâ anni 1379, hæc habet *Thomas Walſinghamus*: *Sub iiſdem diebus venit à Româ Archiepiſcopus Caſſelienſis, Hibernicus, qui illùc miſſus fuerat urgentibus quibuſdam cauſis, reportans magnam poteſtatem ligandi & ſolvendi, indultam ſibi ab Apoſtolico: cùm autem veniſſet Londonias, habito ſermone ad populum, denuntiavit Regem Franciæ, & quotquot Antipapæ adhærebant, involutos excommunicationis ſententiâ, aſſeverans etiam jam Angliæ fore tempus acceptabile, in cauſa Regis Angliæ, ad invadendum regnum Franciæ, præſertim cùm eſſet veriſimile, quòd Rex anathematizatus, non haberet fiduciam reſiſtendi.* Exceſſit è vivis hic præſul in partibus (ut opinor)

opinor) transmarinis, anno 1380. Eo verò absente, vicarius ejus generalis fuit *Guilielmus* Episcopus Imelacensis.

PETRUS HACKET.

POst *Torringtoni* obitum, annos quatuor sedes vacavit. Temporalibus toto eo tempore in fiscum redactis. Sed impetratâ tandem à Rege (pro more) eligendi licentiâ, (sive *Congedeslier*) electus est *Petrus Hacket*, Archidiaconus Casseliensis. Mortem obiit 1406, consecrationis anno 22.

RICHARDUS O-HEDIAN.

R*ichardus O-Hedian*, (vel *O-Heden*) Archidiaconus itidem Casseliensis, in Archiepiscopum sacratus est an. Dom. 1406, sed Temporalium non accepit restitutionem ante 14 Septembris 1408. Is possessiones Archiepiscopatus, ab aliis (per socordiam ut videtur prædecessoris) injustè usurpatas, repetiit: cùm *in adventu non unum habuerit locum in aliquo mannerio, ubi caput suum reclinaret*, ut ipse de se loquitur, in Rotulo proventuum & possessionum sedis Casseliensis, anno 1419 conscripto. Aulam hic construxit Vicariis choralibus, quibus etiam *Villas de Grange-Connell* & *Baon-Thurlisbeg* elargitus est. Domos aliquot Archiepiscopales in manneriis suis refecit, & (quod tacendum non est) Ecclesiam Cathedralem (S. *Patricii*) de novo construxit, vel saltèm, tùm fatiscentem reparavit. A fundamentis illam excitârat *Donaldus O-Brien*, Rex Limericensis, eximius ille Ecclesiarum & cœnobiorum conditor & instaurator. Colle quidèm, præcipitióque munita est; sed ventis ob sublimem situm nimis exposita. Anno Domini 1421, Parlamentum Dublinii coactum est. *Accusatur ibi* Hedenus hic, *à Joanne Geso, Episcopo Lismorensi & Waterford. de 30 articulis, quòd plurimi fecit Hibernicos, & nullum Anglicum dilexit; quòd nulli Anglico dedit beneficium, & sic jubebat aliis Episcopis quòd non darent minimum beneficium; quòd fecit sigillum Regis Angliæ, & literas patentes Regias; quòd ordinavit se Regem Momoniæ; quòd accepit annulum de imagine beati Patricii, quem obtulit comes Desmoniæ, & dedit meretrici suæ, & multa alia enormia dedit in scriptis, & vexati sunt Domini & Communes per eos. Hactenùs* ejus æqualis, *Henricus Marleburgensis*, (Vicarius de Balliscaddan in Diocesi Dubliniensi.) Obiit tandèm *Hedianus* annorum plenus, 21 Julii anno Domini 1440, & in Ecclesiâ suâ sepultus est. Post illius obitum, per decennium sedes vacavit, Temporalibus toto eo tempore *ad firmam traditis Jacobo Butlero* Comiti Ormoniæ, ut ex Archivis Regiis constat.

JOHANNES

JOHANNES CANTWELL.

POst decennii (uti diximus) vacationem, *Johannes Cantwellus* Legum Baccalaureus, Academiæ Oxonienſis alumnus, proviſione Pontificiâ Archiepiſcopus renuntiatus eſt. Synodum Provincialem is Limerici celebravit, anno 1453, cujus Canones etiamnum extant. Aliam porrò Synodum Fetherdæ coëgit menſe Julio 1480, cui interfuerunt (inter alios) *Matthæus* Laonenſis, *Thomas* Limericenſis, *Johannes* Artfertenſis & *Guilielmus* Clonenſis & Corcagienſis Epiſcopi. Statuta verò quæ ibidem ordinata fuerunt (ni fallor) perierunt. *Johannes* noſter multa ab *Edw.* 4. rege, privilegia impetravit, in Archivis Cancellariæ, an. 2 & 3 *Philippi* & *Mariæ* memorata. Deceſſit anno 1482, Caſſeliæ ſepultus. Cœnobium Prædicatorum Caſſeliæ is reſtauravit, & biennio ante mortem, Vicariorum choralium collegio Caſſeliæ, quædam in urbe Clonmellenſi contulit. Alius quidam *Iohannes Cantwellus*, Legum itidem Baccalaurius ex Academia Oxonienſi, à nonnullis prædeceſſor ejus nominatur, & obiiſſe dicitur, in feſto S. *Valentini* 1450. Si talis quiſpiam fuerit Archiepiſcopus, conſtat à rege non fuiſſe probatum, neque hujus ſedis Temporalibus reſtitutum. Fortaſſe autem hæc res plenius meretur ſcrutinium.

DAVID CREAGH.

David Creagh, Juris utriuſque Baccalaureus, patriâ Limericenſis, in Archiepiſcopum conſecratus eſt 1483. De injuriâ illi factâ per *Geraldum fitz-Gerald* comitem Kildariæ, (virum licèt ſpectatæ fortitudinis, rigidum tamen & præferocem) ac de querimoniâ quam inſtituit apud Regem (*Henricum* ſeptimum) ſuaſu *Jacobi de Ormond* equitis aurati, quandoque Hiberniæ Quæſtoris, (ſed irrito labore) adeas Hibrrniæ Hiſtoriam ab *Edmundo Campiano* deſcriptam. *David* hic quinto Septembris 1503, fato functus eſt, exactis in hac ſede annis XX.

MAURITIUS fitz-GERALD.

Mauritius fitz-Gerald, aliàs *Geraldinus*, à Julio 2 Pontifice proviſus eſt Archiepiſcopus Caſſelienſis anno 1504. Hunc aliqui *Mauritium Iohannis* vocant, & obiiſſe ferunt anno 1523. Statuta Synodi ab eo Limerici habitæ 1511, inſerta fuerunt Regeſto *Thomæ Purſelli* Liſmorenſis & Waterfordienſis olim Epiſcopi, non ita pridem fortuito incendio combuſto.

EDMUNDUS BUTLER.

ANno 1527, *Edmundus Butlerus*, filius nothus Petri comitis Ormoniæ, conſecratus eſt Archiepiſcopus Caſſelienſis, ac paulò poſteà in numerum eorum aſcitus, qui Regi *Henrico* 8, ab arcanis in Hibernia conſiliis fuerunt. Hic Prior fuit ſive commendatarius cœnobii S. *Edmundi de Athaſſel*, in comitatu Tipperariæ. Prioratum verò tempore ſuppreſſionis abdicavit. Provincialem Synodum Limerici is celebravit, circa feſtum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* anno 1529, in qua conceſſa eſt poteſtas Prætori Limericenſi, in carcerem conjiciendi Eccleſiaſticos obæratos, ſine ulla pœna interdicti, donec æs alienum ab iis contractum creditoribus exolveretur. De hac Conſtitutione, clerici, ut de injuria & Eccleſiaſticorum privilegiorum violatione, graviter conqueſti ſunt. Naturæ ceſſit ſub finem anni 1550, nempe quinto die Martii, & in Eccleſiâ ſuâ, (non procul à Cathedrâ Archiepiſcopali) ſub tumulo jacet marmoreo, à ſe dum viveret extructo, imagine ejus & inſignibus ornato.

ROLANDUS BARON.

DEfuncto *Butlero*, *Rolandus Baron*, (aliàs *fitz Gerald*) à *Mariâ* Reginâ deſignatur ſucceſſor. Ille ex antiquâ *Geraldinorum* familiâ, *Baronum* (ſed non Parlamentariorum) de Burn-Church in agro Kilkennienſi ortus, conſecrationem accepit anno 1553, menſe Decembri. Et die 28 Octobris 1561 (qui SS. *Simoni* & *Judæ* ſacer) vitâ functus eſt. Per ſexennium tunc ſedes vacavit.

JACOBUS mac-CAGHWELL.

Jacobus mac-Caghwell, Caſſelienſis conſtitutus eſt Archiepiſcopus ab *Elizabetha* Regina, anno 1567, paulò pòſt (ut habet *Hookerus*) à *Mauritio Gibbono*, aliis *Reagh*, cui tùm nuper nomen Archiepiſcopi Pontifex Romanus contulerat, cultro (quem *a Skeyne* dicimus) vulneratus eſt; quòd Provinciæ illius adminiſtrationi non renuntiaret. *Mauritius* ille in Hiſpaniam poſteà profugiens, ibi *in Civitate Portuenſi mortuus eſt, circa annum Domini* 1578. *Jacobo* ſedente, Epiſcopatus Imelacenſis, Parlamentariâ authoritate, Cathedræ Caſſelienſi adjectus eſt; eo ipſo tempore quo Epiſcopatus Cluanenſis (ſive Clonmacnoiſenſis) ſedi Midenſi fuit conjunctus. Migravit ab hac luce anno 1570.

MILERUS

MILERUS MAGRAGH.

Milerus Magragh (aliàs *mac-Cragh*,) *Franciſcanus*, in Fermanaghenſi comitatu natus, authoritate Pontificiâ Dunenſis renuntiatus eſt Epiſcopus. Poſteà Proteſtantium religionem profeſſus, ad ſedem Cloghorenſem per *Elizabetham* Reginam tranſlatus eſt 8 Septemb. 1570, unde propter continua bella, parùm aut nihil emolumenti percepit. *Eaghwallo* verò brevi poſtea defuncto, deſignatus eſt ſucceſſor 3 inſequentis Februarii. Poſteà ſedem Liſmorenſem vacantem 1582, (*Elizabethæ* Reginæ conceſſione,) Caſſelienſi adjunxit; eâ demùm relictâ, & poſt obitum *Thomæ Wetherhed*, denuò ſuſceptâ, poſteáquè relictâ, duos in Conatia Epiſcopatus, Alladenſem ſcilicet & Achadenſem rexit commendatarius, & ad mortem uſque retinuit. Anno interim 1611, quidam *Guilielmus Knight*, Artium Magiſter, coadjutor ei datus eſt, ſed muneris illius (quam ob cauſam neſcio) is citò pertæſus, in Angliam rediit. Deceſſit *Milerus* Caſſeliæ, centenarius, menſe Decembri 1622, cùm per biennium lecto affixus jacuiſſet. Monumentum habet è regione *Butleri*, à ſe dum viveret, conditum. Præfuit huic ſedi 10 menſes, ultra annos 51.

MALCOLMUS HAMILTON.

Malcolmus Hamiltonius, Scotus, Cancellarius Dunenſis, unà cum *Archibaldo Hamilton* Alladenſi, Pontificæ (in Eccleſiâ S. *Petri*) conſecratus eſt, penultimo Junii 1623. Annoque inſequenti, Conſiliariis Regiis annumeratus. Obiit ardenti febri correptus, in ædibus ſuis de *Camus*, Aprilis 25 1629, & in eccleſia Cathedrali Caſſelienſi ſepultus eſt, 2 inſequentis Maii.

ARCHIBALDUS HAMILTONIUS.

Archibaldus Hamiltonius, Scotus itidem, S. Theologiæ Doctor ex Academia Glaſcoenſi, Epiſcopus Alladenſis & Achadenſis Caſſeliam tranſlatus eſt, Aprilis 20 1630. Obiit Stockholmæ in Swedia, anno Dom. 1659.

THOMAS FULWAR.

Thomas Fulwarus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, conſecratus epiſcopus Ardfertenſis 1641, huc tranſlatus eſt menſe Januario (ſtylo Anglicano) 1660.

DE Epiſcopis IMELACENSIBUS USQUE

Ad annum Dom. 1568, quo Epiſcopatus Imelacenſis Cathedræ Caſſelienſi adjectus eſt.

S. ALBEUS.

POſt Caſſeliam memorabitur Imelaca, aliàs *Imeca-Ibair*, Sedes Epiſcopalis antiquiſſima, in regione amœna & fertili ſita, ac ampliſſimis olim ditata prædiis, ubi & urbs erat olim celeberrima, quæ tamen paulatim in exiguum viculum decrevit. Huic loco maximum fuit decus S. *Albeus*, dictus alter *Patricius*, & Momonienſium poſt *Patricium*, ſecundus Patronus; qui dum Evangelicam doctrinam in Hibernia diſſeminaret, conatibus ejus ita Deus benedixit, ut quamplurimos ex nobilitate & plebe, tam docendo, quàm vitæ exemplo, ad fidem Chriſti converterit. Totâ demùm Inſulâ his pietatis officiis, peragratâ, Eccleſiam ſuam Cathedralem fixit tandem Imelacæ, juxta lacum jam ferè exiccatum. Author antiquus mihi anonimus, qui vitam S. *Colmani* Dromorenſis Epiſcopi deſcripſit, *Epiſcopum*, vocat *Imblicenſem, ſapientem ac religioſum virum.* Addit porrò *Colmanum apud eum divinarum ſcripturarum, ſtudiis, jejunio, & orationi atque vigiliis ſedulè inſiſtentem aliquot annis docilem manſiſſe.* Verumenimverò, S. *Albeum* totius Momoniæ conſtitutum fuiſſe Archiepiſcopum, his verbis diſertè aſſerit vitæ S. *Declani* Scriptor, adhuc (ut opinor) ineditus: *Commanentes in Civitate Caiſſyl, S. Patricius, S. Albeus, Sanctuſq; Declanus, cum multis ſanctis ſuis diſcipulis, apud Regem Enguſam, multa bona rigoris Chriſtiani conſtituerunt. Et ibi Rex Ænguſa & S. Patricius cum omni populo ordi-*

dinaverunt Archiepiſcopatum Mumoniæ in Civitate & in ſede S. Albei, (qui tunc ab eiſdem Archiepiſcopus ordinatus eſt) per ſeculum. Ita ille. Item ſcriptor vitæ S. *Albei*: *Cùm B. Albeus* (inquit) *audiſſet, quòd Patricius Regem Memonenſium Enguſſum filium Nefrich converteret ad Chriſtum, & eſſet cum eo in Civitate Caſſell. venit ut eos ſalutaret. Rex autem & Patricius gaviſi ſunt in adventu Albei, & ille eſt gaviſus eos videns. Ibi verò accepit Patricium, Magiſtrum ſuum S. Albeus, quia valdè erat humilis. Hunc Rex Engus & Patricius ordinaverunt, ut in civitate & cathedra S. Albei eſſet Archiepiſcopatus omnium Memonenſium ſemper.* Quo tempore S. *Albeus* Euangelium in Hibernia prædicare cœperit, controvertitur. Sunt qui tradant in Chriſtiana religione propaganda, operam ibi ſedulò eum navâſſe, ac multos ad Chriſti fidem convertiſſe, ante S. *Patricii* adventum in Hiberniam. Sed nos illorum ſententiæ adhæremus, qui eum S. *Patricio* poſteriorem ponunt. Vide, ſi placet, quæ diximus in Annotationibus noſtris ad Opuſcula S. *Patricii*: quibus & hîc addere liceat *Albeum* Presbyterum ordinatum fuiſſe ab ipſo S. *Patricio*, id quod docet *Tirechanus* Scriptor antiquus, libro 2, de vita S. *Patricii*. Item, è jam dicta vita S. *Albei*, intelligimus puerum eum fuiſſe, dum Palladius à Celeſtino Pontifice miſſus, in Hibernia moraretur, & ab eo baptizatum. Palladium verò in Hiberniam perveniſſe anno Domini 431, unico ſolùm anno ante S. *Patricium*, doctis ſatis eſt notum. Sed hæc obiter. Hic talis tantuſq; vir deceſſit tandem grandævus, integris tamen animi & corporis ſenſibus, 12 Septembris anno Domini 527, vel, ut alii volunt, 541, & in Eccleſia ſua Imelacenſi ſepultus eſt.

Ex ejus ſucceſſoribus in ſede Imelacenſi, ante tempora Anglorum, hi memorantur partim in Annalibus cœnobii Inisfallenſis, partim in Annalibus Ultonienſibus.

Conaingius O-Daithil, dictus Abbas Imelacenſis, & alibi *Comorbanus* ſive ſucceſſor S. *Albei*, obiit anno 660, vel 661.

Conamail mac-Cartiaig obiit 707.

Cellachus obiit 718.

Senchai obiit 778.

Cuanus deceſſit 784, vel 786.

Sechabratus obiit 819.

Flanus mac-Famchellaic obiit 825.

Olchobarus filius *Kinedæi*, Rex Caſſelienſis ſimul & Antiſtes Imelacenſis obiit 850, vel 851.

Maneus filius *Huarguſæ* obiit 857.

Cenfeladus, Rex Caſſelienſis ſimul & Præſul Imelacenſis obiit 872.

Rudgallus filius *Fingaili* obiit 882.

Concenmathair, obiit 887.

Eugenius, filius *Cenfeoladi*, dictus *Princeps Imlechæ-Ibair*, occiſus eſt anno 889.

Miſcalus obiit 898.
Flannus, filius *Canaili* obiit 903.
Tiberidus, filius *Melſini* obiit 912, dictus porrò *Princeps Imlechaibair*.
Edshada, filius *Scanlaini* obiit 941.
Huarachus obiit 953.
Mel-Chellachus obiit 957.
Feolanus, filius *Cellaidi* obiit 881.
Cenſada obiit 990.
Columba filius *Lagenani* obiit 1003.
Serbrethacus obiit 1027.
Mælſinanus obiit 1040.
O-Flanchua obiit 1047.
Clothna Muiemech obiit 1049.
Melmorda obiit 1075.
Meliſa O-Harachtain obiit 1093.
O-Ligbai obiit 1122.
Melmorda filius *Inclodnai* ſucceſſit, quo ſedente, 1123, Imelaca direpta eſt, & mitra S. *Albei* ibi magnâ curâ per multa ſecula aſſervata, à latronibus combuſta fuit. *Melmorda* epiſcopus fugâ evaſit.
Deicola, ab Hibernis *Gillo-an-choindeb O-Ardmail* interfuit Synodo à Cardinali Paparone coactæ 1152.
Meliſa O-Lagenan obiit Imelacæ, anno 1163.

O-MEICSTIA.

O-Meicſtia, (aliis *O-Meicſelbe*,) deceſſit anno 1172. In Annalibus cœnobii Inisfallenſis dictus eſt *Comarba Albei*. Ubi & non pauci è prædeceſſoribus ejus ita appellantur.

CAROLUS O-BUACALLA.

Carolus O-Buacalla, Abbas Mellifontis ſucceſſit in hac ſede, 1177. Ubi vix menſis ſpatio confecto, è vita migravit.

ISAACUS O-HAMERY.

DE *Iſaaco O-Hamery*, ſucceſſore ejus, præter nomen nudum, nihil traditum reperi.

REGINALDUS O-FLANUA.

Reginaldus O-Flanua obiit 1197. Eo (ni fallor) ſedente, anno nempe 1192, Eccleſia Cathedralis Imelacenſis incendio conflagravit. Quis ei proximus ſucceſſerit non comperi. Electionem

onem factam de *Guilielmo* quodam anno 1210, Papa irritam declaravit.

HENRICUS.

HEnricus quidam, Anglus, Monachus Ciſtertienſis, & Abbas cœnobii Bindonenſis in comitatu Dorceſtrienſi conſecratus eſt anno 1212. Huic & ſucceſſoribus nundinarum & mercatus jus Imelacæ, conceſſit *Johannes* Rex Julii 7, anno regni ſui 17. Mortem obiit 1227, cùm ſediſſet annos 13. Aprilis inſequentis 26, cuſtodia Temporalium commiſſa eſt ab *Henrico* 3 rege, *Radulpho de Norwico*, Eccleſiæ S. *Patricii* Dublinii Canonico.

JOHANNES COLLINGHAM.

SUcceſſit *Johannes Collinghamus*, ab *Honorio* 3 Pontifice proviſus anno 1228. Junii deinde 14, 1236, conceſſa eſt à Rege eligendi poteſtas Decano & Capitulo eccleſiæ Imelacenſis, poſt *Collinghami* (ni fallor) obitum.

CHRISTIANUS.

QUi ſucceſſit, *Chriſtianus*, per chartam datam Londini, in feſto Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, 1237, dedit 20 dies indulgentiarum, fabricam Eccleſiæ S. *Pauli* ibidem promoventibus. In Archivis regiis quæ in turri Londinenſi aſſervantur, traditum repe:i *Danielem* quendam Priorem hoſpitalis S. *Johannis* extra nouam portam civitatis Dublinienſis tanquàm electum Epiſcopum Imelacenſem aſſenſum Regium obtinuiſſe 8 Aprilis 1238. Atqui (ut videtur) nec conſecratus fuit, nec temporalibus hujus ſedis reſtitutus. Nam *Chriſtianus* hic præfuit ad annum uſque 1249, quo è vivis exceſſit. Eccleſiæ ſuæ Imelaeenſis Benefactor perhibetur egregius. Uſus is eſt pro Symbolo, *Vias tuas Domine, monſtra mihi.*

GILBERTUS O-DOVERTY.

LIcentiâ regiâ impetratâ 12 Decembris 1249, totius Capituli conſenſu, *Gilbertus O-Doverty*, Eccleſiæ Cathedralis S. Albei Imelacæ Decanus electus eſt, qui à Rege confirmationem accepit 12 Octobris 1251, conſecrationis anno primo. Is porrò Nonis Octobris eodem anno, dedit Eccleſiæ S. *Pauli* Londini 20 dies Indulgentiarum. Deceſſit Octobris 9, 1265.

FLORENTIUS de IMELACA.

Florentius de Imelaca, ita dictus, (pro more ab Ecclesiasticis illorum temporum sæpè usitato) quòd Imelacæ natus, Ecclesiæ Imelacensis Canonicus successit, consecratus circa festum Pentecostes 1266, rejecta electione *Laurentii de Dunlac*, Præcentoris ejusdem ecclesiæ. Obiit *Florentius* sub exitum anni 1271, & in ecclesia sua Cathedrali sepultus est.

MATTHÆUS mac-GORMAN.

Matthæus mac-Gorman, Archidiaconus Imelacensis, Regio diplomate confirmatus est Junii 18 1272, & mense Augusto insequente consecratus. Sedit annos duntaxat duos & menses aliquot.

DAVID O-CUSSY.

Successit illi *David O-Cussy*, Monachus Cistertiensis & Abbas cœnobii S. *Crucis* apud Tipperarienses, à Rege confirmatus 2 Augusti 1275. Decessit mense Junio 1281.

GUILIELMUS de CLIFFORD.

Guiliel mus de Clifford, Angliæ Escaëtor succesit, consecratus 1282. Anno deinde 1299, Episcopatus *Temporalia* fisco illata fuerunt, ob æs alienum contractum, dum Escaëtor esset. Decessit in Anglia 1306.

THOMAS CANTOK.

Thomas Cantok, Anglus, Hiberniæ Cancellarius & Ecclesiæ Imelacensis Canonicus, in Episcopum electus, assensum regium obtinuit, 3 Septembris 1306, eodémque anno, retento Cancellariatu, consecratus Dublinii, in Ecclesia S. Trinitatis, proceribus, clero & aliis magno numero præsentibus, quos omnes epulis excepisse fertur, magnificentiâ iis temporibus inauditâ. Ejus tempore, Archiva aliquot Regia ad Cancellariam spectantia, in cœnobio B. *Mariæ* Dublinii reposita, fortuito incendio perierunt. Sedit exiguo tempore. Excessit è vivis pridiè Nonas Februarii, (stylo Anglicano) 1308, *quo tempore* (ex Tabulis publicis loquor) *Sigillum fuit in custodia Magistri* Johannis Cantok, *apud Dublin. & Magistri* Henrici de Raggeley, *usque ad diem Sabbathi proximè post festum Purificationis B.* Mariæ, *& eodem die, prædictus* Henricus *liberavit Sigillum Thesaurario & Baronibus de Scaccario Dublin.*

Dublin. per præceptum prædicti Theſaurarii & Concilii Dom. Regis ibidem, quod clauſum fuit ſub ſigillis ipſius Henrici, *Magiſtri* Walteri de Iſtelep & Hugonis Canon, *in Theſauraria, uſque ad adventum* Petri de Gaveſton *comitis Cornubiæ, tenentis locum Domini Regis in Hibernia, qui ſigillum Domini Regis tradidit* Waltero de Thornbury, *ad cuſtodiendum.* Februarii 26 data eſt poteſtas à rege Decano & Capitulo ecclesiæ Imelacenſis ſucceſſorem eligendi.

GUILIELMUS ROGHENED.

ANno 1309, *Gnilielmus Roghened*, al. *Roghead*, Decanus Imelacenſis ſucceſſit. Is, Decembris 24 1327, dum verſus eccleſiam ſuam Cathedralem equitaret, equo quo vehebatur titubante dejectus, tres coſtas, in dextro latere fregit. Vixit tamen poſteà uſque ad annum 1335, quo decedens in eccleſia ſua ſepultus eſt.

RICHARDUS le WALEYS.

ANte annum circumactum, *Richardus le Walleys*, (al. *Walſh*) electus & conſecratus, præfuit annos circiter 20. Obiit menſe Octobri 1355.

JOHANNES ESMOND.

Iohannes Eſmondus, Archidiaconus Fernenſis, ab *Innocentio* ſexto Pontifice proviſus, ſucceſſit, temporalibus reſtitutus 27 Aprilis 1356, & cùm præfuiſſet annos circiter ſex, vitâ functus eſt, 4 Aprilis 1362.

GUILIELMUS.

Gvilielmus quidam, Archidiaconus Imelacenſis à Papa proviſus, hujus ſedis temporalibus reſtitutus eſt à Rege, Octobris 11 1363, tanquàm vacantis per mortem *Davidis* cujuſdam. Si verò talis quiſpiam *David* conſecratus fuerit, conſtat certè ex Archivis regiis, ex hac vita eum migrâſſe, ante temporalium reſtitutionem, & admodùm exiguo tempore ſediſſe. *Guilielmus* hic diù huic Eccleſiæ præfuit, vixit enim 17 Decembris 1393. Sed quando obierit nondum comperi.

NICOLAUS.

Nicolaus quidam, Episcopus Imelacensis obiit 1422, sed quando fuerit consecratus, me latet. Defuncto *Nicolao*, *Johannes Risbery*, ordinis Eremitarum S. *Augustini*, successor renuntiatus est a *Martino* 5 Pontifice, illo vero cunctante *literas suæ provisionis expedire*, per provisionem Pontificiam, 19 Calend. Januarii 1425 *Robertus Windel*, ordinis Minorum, electus est. Sed consecratione ut videtur caruit. Nam per obitum jam dicti *Nicolai*, *Thomas* quidam *de Burgo*, Canonicus *Augustinianus*, electus est Episcopus Imelacensis, sed illo etiam cunctante, *Robertus Portlondus* ordinis Minorum à Pontifice provisus est, Calendis Februarii 1429. An is consecratus fuerit nescio, non reperi, neque constat an sedem Imelacensem unquam viderit.

THOMAS.

PEr discrepantes eas provisiones, Episcopalium prædiorum fructus in fiscum regium longo tempore redacti fuerunt. Consecratus est vero eodem anno sc. 1431, *Thomas* quidam, qui annos præfuit 12. Obiit 1443. Subolet eundem fuisse cum *Thoma de Burgo*, de quo suprà mentionem feci.

CORNELIUS O-CUNLIS.

DEfuncto *Thoma* successor designatus est ab *Eugenio* 4 Papa, anno 1444, *Robertus de Anglia*, Minorita, sed eo, eodem anno, vel rejecto, vel ad Episcopatum, Tiberiadem in Galilæa, sub Patriarcha Hierosolymitano designato, *Cornelius O-Cunlis* (alias *O-Ricalis*) Minorita itidem, ad Episcopatum Imelacensem provectus est. Is statim ac consecratus, nuntius in Hiberniam missus est, ad colligenda subsidia contra Tureas, Anno deinde 1448, Clonfertam migravit. Hæc ferè *Waddingus*, Tom. 5. Annalium Minorum.

CORNELIUS O-MULLEDY.

Cornelius O-Mulledy, ordinis itidem Minorum, Episcopus Clonfertensis huc translatus est, à *Nicolao* 5 provisus 17 Calend. Maii 1448.

GUIL.

GUILIELMUS O-HEDIAN.

Gvilielmus O-Hedian, succeſſit illi, à Papa proviſus circa annum 1459. Anno Dom. 1468, proviſione Pontificiâ factus eſt Prior commendatarius cœnobii B. *Mariæ* Kenliſæ in Oſſoria, vivente adhuc *Nicolao* Priore loci. Qua de re, magna orta eſt contentio inter eum & *Nicolaum*: quo verò ſucceſſu haud comperi.

PHILIPPUS.

Philippus hic mortem obiit anno 1494. De quo præterea, nihil traditum comperi.

CAROLUS mac-BRIEN.

VAcante ſede per obitum *Philippi*, *Donatus O-Brien*, Decretorum Doctor proviſus eſt Epiſcopus, 4 Idus Novembris 1494. Sed eo neſcio quare poſteà rejecto, vel ſaltem non conſecrato, *Carolus mac-Brien*, Canonicus Imelacenſis Epiſcopatum obtinuit, proviſione Pontificia, pridie Cal. Maii anno 1498. Quando obierit non comperi.

THOMAS HURLEY.

Thomas Hurlæus, magni nominis Canoniſta, obiit grandævus 1542, & in eccleſia ſua, (ubi collegium erexerat ſacerdotibus ſecularibus) ſepultus eſt. Quidam *Thomas* conſecratus fuit Epiſcopus Imelacenſis anno 1507, fortè idem fuit cum noſtro *Thoma Hurlæo*.

ÆNEAS O-HIFERNAN.

SUcceſſit illi anno ſequenti, *Æneas O-Hifernan*, al. *O-Hernan*, ordinis Hoſpitalariorum, Præceptor Anienſis, in agro Limericenſi, ab *Henrico* 8 rege nominatus. Præfuit annos plùs minùs 10.

REIMUNDUS de BURGO.

Reimundus de Burgo, ordinis Minorum de obſervantia, ſucceſſor ejus obiit 4 Calend. Auguſti 1562, & in eccleſia cœnobii Minoritarum de Adare ſepultus eſt. De ſucceſſoribus ejus, poſt unionem factam anno 1568, vide inter Archiepiſcopos Caſſelienſes.

DE Epiſcopis LIMERICENSIBUS.

S. MUNCHINUS.

ECcleſiam Cathedralem Limericenſem extruxit & dotavit *Donaldus O-Brien* Rex Limericenſis, circa Anglorum adventum in Hiberniam. Eſt verò Limerici *Ædes* ſacra, vulgò dicta S. *Munchini* Eccleſia, nunc parochialis, ſed olim (ut ferunt) Cathedralis, à S. *Munchino* Sednæ filio, primo Limericenſi Epiſcopo fundata, & ab *Oſtmannis* poſteà reſtaurata. De hac re quærant alii. Quis autem fuerit *Munchinus*, non parva eſt quæſtio. Sunt qui opinentur, hunc eſſe *Mancenum* illum quem *Jocelinus*, in vita S. *Patricii*, cap. 59, *virum* appellat *religioſum & optimè in Scripturis exercitatum*, quémque S. *Patricium Amalgaidi* Regis Conatiæ *populo*, à ſe tum *noviter ad Chriſtum converſo*, præfeciſſe aſſerit. Sunt alii qui minùs (opinor) probabiliter cum *Mancheno* illo confundant, quem Annales Ultonienſes Abbatem vocant *de Menedrochit*, & obiiſſe docent anno 651, vel 652. Hujus *Mancheni* obitus memoria deſignatur, ſub nomine *Manichæi ſapientis Hibernienſis*, in libris de Mirabilibus Scripturæ, à quibuſdam S. *Auguſtino* perperàm adſcriptis. Non abhorret nomen, & tempora exactè conveniunt. Vid. lib. 2. cap. 4. Tom. 3. operum S. *Auguſtini*. Feſtum S. *Munchini* Limericenſis agitur die primo Januarii. Urbs ipſa totius Momoniæ pulcherrima hodiè vulgò Limericum vocatur, olim verò Lumniacum, & Hiberniè *Lumneach*, unde & loci Epiſcopi Lumnicenſes & Lumnicani olim dicti. Sunt qui *Lumneach* interpretentur *locum denudatum ex paſtu equorum*. Quàm verè viderint alii. De ſucceſſoribus S. *Munchini* in ſede Limericenſi, nihil traditum reperi ante tempora *Oſtmannorum*. Hi dum *Ethnici*, Limericum, inter alias Urbes, vi & armis diù obtinuerunt,

Seculo

Seculo verò Decimo, ad religionem Christianam conversi. Haud comperi tamen Episcopum ibi loci consedisse, ante *Gilleum*, aliis, *Gillebertum*, qui sedere cœpit, sub initium Seculi Duodecimi.

GILLE.

GIlle, al. *Gillebertus*, (an Hibernus, vel *Ostmannus*, nescio) Episcopus Lumnicensis sive Limericensis & Legatus Hiberniæ claruit anno Domini 1110, eodémque anno Synodum coëgit apud *Rath-breasail*, in qua (inter alia) limites Episcopatuum Hiberniæ descripti fuerunt. Interfuit is consecrationi *Bernardi* episcopi Menevensis, anno 1115, Westmonasterii, à *Radulpho* Cantuariensi Archiepiscopo peractæ, ut ex Eadmero discimus. Anno verò 1139, grandævus tum & valetudinarius Legatinam potestatem sponte abdicavit, munerique illi à Papa præfectus est *Malachias Morgairus* tunc Dunensis Episcopus. *Significatum siquidem erat ei*, (inquit S. *Bernardus* in vita *Malachiæ*) *ab Episcopo Gilleberto, qui tunc Legatus extiterat, quòd jam non posset præsenio & debilitate corporis villicare.* Neque diù posteà supervixit *Gille*. Scripsit is (præter Epistolas quasdam ad *Anselmum* Archiepiscopum Cantuariensem & alios) Libellum de Statu Ecclesiæ, quem D. *Thomas Jamesius* in Catalogo codicum MSS. Collegii Benedictini Cantabrigiæ, & (ex eo) *Jo. Pitseus* fictitio cuidam *Gillæ* episcopo Lincolniensi tribuerunt.

PATRICIUS.

ANno 1140, mortuo *Gille*, sive *Gilleberto*, vel saltem resignante, *Patricius* quidam ab *Ostmannis* Limerici Episcopus electus in Angliam trajecit, ubi à *Theobaldo* Archiepiscopo Cantuariensi consecrationem obtinuit, professione sequenti præstitâ: *Ego Patricius ad regimen Ecclesiæ Limericensis electus, & à te Reverende Pater Theobalde, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscope, & totius Britanniæ Primas, per gratiam Dei Antistes consecrandus, tibi & omnibus successoribus tuis, tibi canonicè succedentibus, debitam subjectionem & canonicam obedientiam, per omnia me exhibiturum fore promitto*, ut ex codice antiquo Bibliothecæ Cottonianæ, olim ad ecclesiam Cantuariensem pertinente, liquet. Præfuit exiguo tempore, Sed de anno certo obitus, nihil comperi.

HAROLDUS.

HAroldus quidam, *Ostmannus*, (Hibernis *Erolb*) qui successit, mortem obiit anno Domini 1151.

TORGESIUS.

TOrgeſius, *Oſtmannus* itidem, ſucceſſit. Interfuit is Synodo à *Johanne* Paparone Cardinale, Kenanuſæ; coactæ, anno 1152. De eo nihil prætereà traditum reperi.

BRICTIUS.

SUcceſſit illi *Brictius Oſtmannus* itidem, ni fallor. Hic unus fuit ex Præſulibus Hibernicis, qui Romæ interfuerunt Concilio Lateranenſi, annis 1179 & 1180. Ei & ſucceſſoribus, *clerôque* S. *Mariæ Limerici*, *Donaldus O-Brienus* Rex Limericenſis contulit *terram Imungram*, aliàs *Mungret*, *& terram Ivamnacham.*

DONATUS O-BRIEN.

PRoximus illi ſucceſſit *Donatus O-Brien*, è regia *O-Brienorum* proſapia ortus. Eccleſiam ſuam Cathedralem is primus amplificare aggreſſus eſt, & Canonicis implevit ſecularibus, quibus Præbendas aſſignavit, necnon Statuta quædam præſcripſit, quibus regerentur. *Johanni* regi Angliæ is admodùm charus fuit, & meritò, nam pro ejus *honore*, *amore & negotiis*, (ut in charta ſua fatetur ipſe *Johannes*) ſæpiùs *laboravit*. Exceſsit è vivis hic Præſul anno 1207, ut illuſtris genere, ita eruditione, prudentiâ & liberalitate illuſtrior.

EDMUNDUS.

DEfuncto *Donato*, *Johannes* Rex anniſus eſt huic ſedi præficere *Galfridum* quendam, Rectorem eccleſiæ Dungarvanenſis, & Decembris 5 1207, literas perſcripſit ad *Milerum* filium *Henrici* Hiberniæ *Juſtitiarium*, quibus mandavit, ut jam dictum *Galfridum* à clero Limericenſi eligendum curaret. Cæterùm an *Galfridus* electus fuerit, vel conſecratus, non comperi. *Edmundus* obiit anno 1222, ſed quando conſecratus, me latet.

HUBERTUS de BURGO.

SUcceſsit *Hubertus de Burgo*, nobili ortus proſapiâ, Prior cœnobii S. *Edmundi* Regis & Martyris de Athaſſel, quod *Guilielmus de Burgo* extruxerat circa annum 1200. Ei cuſtodia Temporalium hujus ſedis commiſſa eſt à Rege, Martii 11 (ſtylo Anglicano) 1222. Eccleſiæ ſuæ cathedralis, necnon Canonicorum & vicariorum (choralium opinor) eximius fuit Benefactor, & cœnobio B. *Mariæ de Keinſham*, apud Somerſettenſes in Anglia, Eccleſiam

cleſiam de Iniskeſty contulit. Mortem obiit 14 Septembris 1250, & Limerici, in cœnobio Dominicanorum ſepultus eſt.

ROBERTUS de IMELACA.

IMpetratâ priùs à Rege eligendi licentiâ, *Huberto*, à Decano & Capitulo, electus eſt ſucceſſor, *Robertus de Imelaca*, aliis *Neil*, qui & regio confirmatus eſt diplomate, Januarii 2 (ſtylo Anglicano) 1251. Dedit is *Thomæ de Woodford* Decano Limericenſi & ſucceſſoribus *Eccleſiaſtica beneficia de Carnarthy & Rathſiward*, anno 1253. Deceſſit 8 Septembris 1272.

GERALDUS le MARESCALL.

GEraldus *le Mareſcall*, Archidiaconus Limericenſis aſſenſum regium obtinuit Januarii inſequentis 11. Sedi ſuæ is non pauca recuperavit, ab aliis injuſtè uſurpata. Statuta ab eo edita extant in *Regeſto* Epiſcopi Limericenſis. Sedit annos 29, obiit Februarii 10, (ſtylo Anglicano) 1301.

ROBERTUS de DONDOVENALD.

RObertus *de Dondovenald*, al. *Dondonyl*, Canonicus eccleſiæ Limericenſis legitimè electus ſucceſſit, conſecratus 1302. Sedit annos fermè 9, & tertio Maii 1311, defunctus, in eccleſia ſua jacet humatus.

EUSTACHIUS del EWE.

EUſtachius *del Ewe*, aliàs *de Aqua*, Decanus Limericenſis conſecratus eſt ante exitum anni 1311. In Eccleſiæ ſuæ reparatione & ornatu, hic multùm impendit pecuniæ, quæ tandem abſoluta, dedicata eſt menſe Julio 1327. Obiit Maii 3 1336, cùm annos præfuiſſet pluſquàm 24, & in Eccleſia ſua cathedrali ſepultus eſt.

MAURITIUS de RUPEFORTI.

MAuritius *de Rupeforti*, aliàs *Rochfort*, conſecratus eſt Limerici, 6 Aprilis 1337. Fuit is ad tempus (anno nempe 1351) *Locum-tenens Thomæ de Rokeby* equitis aurati, Hiberniæ *Juſtitiarii*. Deceſſit Junii 9, aliis Aprilis 14, 1353, in Annalibus Nenaghtenſibus dictus *vir bonæ vitæ & converſationis honeſtæ*.

STEPHANUS LAWLES.

MAuritio ſucceſſit *Stephanus Lawles*, Cancellarius eccleſiæ Limericenſis, temporalibus hujus ſedis à rege reſtitutus 13 Maii 1354. Ex hac vita migravit die Innocentium 1359.

STEPHANUS de VALLE.

STephanus *de Valle*, (al. *Wale*,) Decanus Limericenſis, à Papa proviſus, conſecratus eſt 1360. Sedit hîc annos 9, factus intereà ſummus Hiberniæ Quæſtor ſive Theſaurarius. Hinc ad Epiſcopatum Midenſem tranſlatus, præfuit ibidem annos circiter 10. Obiit Oxonii, 10 Novembris 1379, & ibidem in cœnobio Dominicanorum ſepultus eſt. Dùm Epiſcopus eſſet Limericenſis, oſſa *Richardi* filii *Radulphi* Archiepiſcopi Armachani, vulgò dicti S. *Richardi de Dundalk*, ab Avenione Dundalcam (ubi natus fuit Archiepiſcopus) tranſtulit, ac ibidem in eccleſia parochiali S. *Nicolai* monumento condidit. In Parlamento Trimmæ habito menſe Junio, anno 1485, confirmata eſt Cantaria in eadem eccleſia, *in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, S. Nicholai & S. Richardi de Dundalk.* Ita Statutum.

PETRUS CURRAGH.

PEtrus *Curragh*, in comitatu Dublinienſi natus, ſucceſſor electus, juramentum fidelitatis *Edwardo* 3 regi præſtitit coram *Guilielmo Wickhamo* Epiſcopo Wintonienſi, 10 Februarii (ſtylo Anglicano) 1369. De accuſationibus adversùs eum, per *Philippum de Torringtou* Archiepiſcopum Caſſelienſem, privilegiorum ordinis fratrum Minorum in Hibernia conſervatorem, ac de totius rei examinatione commiſſâ *Simoni Sudburio* Archiepiſcopo Cantuarienſi, longam habemus narrationem in Bulla *Gregorii* XI, data Avenione, 13 Calend. Septembris 1376, quam petas apud *Lucam Waddingum*, in Tomo 4 Annalium Minorum. Quomodo demum hæc tempeſtas ſedata fuerit, me latet. Vixit *Petrus* poſteà multos annos. Reſignavit anno 1400. & obiit ſub exitum Octobris 1407.

CORNELIUS O-DEA.

COrnelius *O-Dea*, Archidiaconus Laonenſis ſucceſſit anno 1400. Is porrò reſignavit 1426, ut privatam ageret vitam. Obiit 27 Julii 1434, ac in eccleſia ſua cathedrali ſepultus eſt, ſub monumento ſtatuâ ejus ornato.

JOH.

JOHANNES MOTHEL.

Iohannes Mothel, Canonicus *Auguſtinianus* cœnobii Kenliſenſis in agro Kilkennienſi, à *Martino* 5 Papa proviſus ſucceſſit, & 23 Januarii (ſtylo Anglicano) 1426, Temporalibus ſedis ſuæ reſtitutus eſt. Sedit annos penè 32. Reſignavit 1458. Obiit 1468.

GUILIELMUS CREAGH.

Gvilielmus Creagh, patriâ Limericenſis, à Papa proviſus, *Motheli* reſignantis loco, conſecratus eſt 1459. Sedit annos plùs minùs 13. Recuperavit is *terras de Donaghmore*, ab aliis injuſtè uſurpatas.

THOMAS ARTHUR.

SUccеſſit *Thomas Arthur*, qui in civitate Limericenſi natus, in patria denatus eſt, 19 Julii 1486.

RICHARDUS.

AB *Innocentio* 8 Pontifice, ſucceſſor ei deſignatus eſt *Richardus* quidam, qui eodem anno Romæ deceſſit, priuſquàm ſe poſſet inde expedire.

JOHANNES DUNOW.

Iohannes Dunow, al. *Dumow*, Canonicus Eccleſiæ Exonienſis, Decretorum Doctor, *Henrici* ſeptimi Regis Angliæ tunc Orator apud Pontificem, proviſione Pontificiâ ſucceſſor declaratus eſt Idibus Novembris 1486 & tertio conſecrationis ſuæ anno, antequàm ſedem ſuam vidiſſet, Romæ itidem defunctus eſt.

JOHANNES FOLANUS.

Iohannes Folanus, Canonicus eccleſiæ Fernenſis, negotiorum *Octaviani de Palatio* Archiepiſcopi Armachani in curia Romana Procurator, ſucceſſor illi deſignatus eſt à Pontifice, 3 Idus Maii, 1489. Deceſſit Januarii 30 1521. Eo ſedente, (circa annum nempe 1490) Cives Limericenſes reſtaurârunt navem eccleſiæ cathedralis B. *Mariæ* Limericenſis, tunc fatiſcentem.

JOHANNES COYNUS.

DEfuncto *Foilano*, *Henricus* 8 Rex anniſus eſt ſufficere *Walterum Welleſlæum*, Priorem cœnobii Conallenſis, (qui poſteà epiſcopus evaſit Darenſis) Sed eo neſcio quare rejecto, epiſcopatum hunc obtinuit *Johannes Coynus*, (al. *Quinnus*) Dominicanus, quem tenuit poſteà, uſque ad 9 Aprilis 1551, quo die, quòd cæcus & valetudinarius, Epiſcopatu ſe ſponte abdicavit.

GUILIELMUS CASY.

GVilielmus *Caſy*, Rector eccleſiæ de Kilcornan, ad rogatum *Jacobi* comitis Deſmoniæ, ab *Edwardo* VI rege, ſucceſſor deſignatus, conſecrationem obtinuit eodem anno Dublinii, (Sede Caſſelienſi vacante) à *Georgio Brouno* Archiepiſcopo Dublinienſi, aſſiſtentibus Darenſi, Fernenſi & Leighlinenſi Epiſcopis. Poſt aliquot deinde annos, ſub *Maria* Regina exauthoratus eſt, ſed ab *Elizabetha* Regina demùm epiſcopatui reſtitutus. Anno deinde 1588, propter ætatem ingraveſcentem & adverſam valetudinem, tanto oneri impar, *Dionyſius Cambellus* Scotus, Decanus Limericenſis coadjutor ei datus eſt. Exceſſit è vivis, longâ ſenectute fatigatus, 7 Februarii 1591. Per duos deinde annos ſedes vacavit.

HUGO LACY.

HVgo (aliàs *Vlic*) *Lacy*, vel *Lees*, Limericenſis Canonicus, à *Paulo* 4 Pontifice, rogante *Maria* regina, ad hunc Epiſcopatum (vivente ſed exauthorato *Caſæo*) evectus, Temporalibus reſtitutus eſt Aprilis 13 1557, hoc præſtito juramento, ut ex ipſis Archivis Regiis liquet. *Ego Hugo Limericenſis Epiſcopus electus & conſecratus, profiteor me habere & tenere omnes temporales poſſeſſiones dicti Epiſcopatus, de manibus veſtris, & ſucceſſoribus veſtris, Angliæ regibus, ut in jure Coronæ regni veſtri Hiberniæ, vobiſque & ſucceſſoribus veſtris Angliæ regibus fidelis ero. Ita me Deus adjuvet, & ſancta Dei Euangelia.* Reſignavit anno 1571, eique ſucceſſit *Guilielmus Caſy*, de quo ſuprà diximus.

JOHANNES THORNBURGH.

JOhannes *Thornburgh*, S. Theologiæ Doctor[1], Magdalenenſis Collegii Oxoniæ alumnus, in civitate Sarisburienſi natus, Reginæ *Elizabethæ* à ſacris, hunc Epiſcopatum adeptus eſt Reginæ dono, paulò ante exitum anni 1593, Decanatu Eboracenſi per diſpenſationem retento. Briſtoliam in Anglia tranſla-

tus

tus est anno 1603, & inde Wigorniam, 1616, Februarii 17, in qua sede admodùm senex obiit 1640, & in ecclesia sua cathedrali, tumulo jacet conditus, à vecordibus nescio quibus pudendum in modum, nuper deformato. De eo vide plura, in supplemento Historiæ Episcoporum Angliæ, à *Johanne Haringtono*, Equite aurato, Anglicè descripto, anno 1608, ad usum privatum Henrici tunc Principis *Walliæ*.

BERNARDUS ADAMS.

BErnardus Adams, Artium Magister, in Collegio S. Trinitatis Oxoniæ educatus, à *Jacobo* rege successor designatus, consecrationem accepit mense Aprili 1604, ac unà cum Limericensi, Episcopatum etiam Fenaborensem, per dispensationem tenuit, ab anno 1606. usque ad annum 1617, quo resignavit. Ecclesiam suam hic sumptu non exiguo restauravit, & organis hydraulicis ac aliis ornamentis instruxit. Decessit Limerici, 22 Martii (stylo Anglicano) 1625, & in ecclesia sua sepultus est, sub monumento illius memoriæ extructo.

FRANCISCUS GOUGH.

FRanciscus Gough, Cancellarius Ecclesiæ Limericensis, Collegii novi Oxoniæ alumnus, consecratus Cashelliæ, Septembris 17, 1626, decessit Limerici, scumantiâ sublatus, 29 Augusti, 1634. & in ecclesia sua cathedrali sepultus est.

GEORGIUS WEB.

GEorgius Web, S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, patriâ Wiltonienſis, *Caroli* 2 Regi à sacris, consecratus Dublinii, in Ecclesia S. *Patricii*, 18 Decembris 1634. Obiit captivus, in castro Limericensi, à Rebellibus detentus, sub exitum anni 1641, ex dysenteria.

ROBERTUS SIBTHORP.

RObertus Sibthorpus, patriâ Essexianus, Thesaurarius Laonensis, & Præbendarius Maynothensis, consecratus episcopus Fenaborensis, Dublinii, in Ecclesia S. *Patricii*, 11 Novembris 1638, hûc translatus est Aprilis 7 1642, unde propter continua bella, nè teruncium accepit. Obiit Dublinii, mense Aprili 1649, & ibidem in ecclesia parochiali S. *Werburgæ* sepultus est.

EDWARDUS SINGE.

Edwardus Singe, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinii, Decanus Elphinensis, *Georgii Singei* frater, Clonensis nuper Episcopi, consecratus est episcopus Limericensis, Dublinii in ecclesia S. *Patricii*, 27 Januarii (stylo Anglicano) 1660, factus prætereà Commendatarius episcopus Ardfertensis, ad Episcopatus Corcagiensem, Clonensem & Rossensem translatus est 1663.

GULIELMUS FULLERUS.

Gulielmus Fullerus, Legum Doctor, Londini natus est anno 1608, dein Westmonasterii, in Schola Regia, bonis litteris operam dedit, donec adultus, ad Academiam se contulit Oxoniensem, ubi annos 15 permansit. Reversus inde, *Edwardi* Dom. *Linlesoni* magni Sigilli Angliæ Custodis domesticus Sacellanus designatus est. Non ita diù posteà, Bello in Anglia flagrante, ob fidelitatem spectatam erga *Carolum* primum Regem, à Novatoribus multa passus est, tam domi, quàm foris. Redditâ verò tandem pace, per felicissimam restaurationem *Caroli* 2 Regis, factus est primùm Decanus ecclesiæ S. *Patricii* Dublinii, ac inde ad Episcopatus Limericensem & Ardfertensem provectus, consecratus est Dublinii, in Ecclesia S. Trinitatis, 20 Martii (stylo Anglicano) 1663, à Michaele Archiepiscopo Dublinensi, *Johanne Clogherensi*, *Roberto Fernensi*, & *Edmundo Corcagiensi* Episcopis.

DE

DE
Episcopis
WATERFORDIENSIBUS.

MALCHUS.

OStmannis Waterfordiensibus, postquam Religionem Christianam amplexi fuissent, consultum tandem visum fuit urbi Episcopum præficere. Ad hoc itaque munus, Malchum quendam virum probum delegunt, monachum quandoque Benedictinum Winchoniensem, & in Angliam mittunt, anno Domini 1096. ab Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi consecrandum. Consecratus is fuit Cantuariæ, 5 Kalend. Januarii 1096, ab Anselmo Cantuariensi Archiepisco, Radulpho Cicestriensi & Gundulpho Roffensi Episcopis. Litterarum in ejus gratiam conscriptarum exemplar extat apud Eadmerum, in Historia sua Novorum. Professionis formulam quam Anselmo præstitit, ex antiquo codice Bibliothecæ *Cottonianæ* (sub effigie *Cleopatræ*, E. I.) adnotare non pigebit. *Ego Malchus Ecclesiæ Waterfordiæ Electus, & tu Reverende Pater, Anselme, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscope, & totius Britanniæ Primas, Antistes consecrandus, tibi & omnibus successoribus tuis, Canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.* Malcho deinde consecrato & Waterfordiam reverso, Ecclesia cathedralis S. Trinitatis ab eo & Ostmannis constructa est. Extat ad eum Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Epistola, circa annum 1110 perscripta.

MELISA O-HAMIRE.

MElisa O-Hamire obiit anno 1135, vel 1136. Ad quem annum in supplemento Annalium Tigernaci, Episcopus is vocatur

catur *Portlargi*. Ita enim Waterfordia ab Hibernis & Britannis appellatur. Ad Waterfordiæ etymon quod attinet, exoticam planè ostendit originem; nam fluminis vel aquæ trajectum sonat.

TUISTIUS, *aliàs* TOSTIUS.

Tuistius, aliàs *Tostius*, Ostmannus, interfuit Synodo à Cardinale Paparone coactæ, anno 1152, de qua suprà sæpè mentionem fecimus.

AUGUSTINUS.

IN Concilio, Windesoræ habito, *in octavis festi S. Michaëlis* 1175, *Henricus* 2 Rex Angliæ *dedit Magistro* Augustino *Hibernensi Episcopatum Waterfordiæ, qui tunc vacabat in Hibernia. Et misit eum in Hiberniam cum Laurentio Divilinæ Archiepiscopo, ad consecrandum à Donato Casselensi Archiepiscopo.* Sic Hovedenus. Anno 1179, Concilio Lateranensi interfuit, postquàm in itinere per Angliam, ipse & alii Præsules Hibernici *ad Concilium ituri pro licentia transeundi, juràssent* (inquit idem Hovedenus) *quòd neque Regi, neque regno ejus, damnum quærerent.*

ROBERTUS.

Robertus quidam, cujus successor fuit Episcopus anno 1200, sed quàm diù præfuerit, nondum comperi.

DAVID.

David quidam, consanguineus Milleri filii *Henrici*, Hiberniæ Justitiarii, consecratus est 1204. Inter eum & episcopum Lismorensem, de possessionibus Sedis Lismorensis, quas ille invaserat, lis diù agitata est. Cæterùm hâc pendente lite, coram Lismorensi & Corcagiensi Episcopis, necnon Archidiacono Casseliensi, Pontificis Delegatis, ab hominibus quibusdam nefariis crudelissimè confossus occubuit anno 1209. Memini me alibi legisse percussorem fuisse Felanum Desiorum Dynastam. De hac re, vid. Epistolam *Innocentii* 3. datam 6. Kal. Julii 1212, à *Francisco Bosquetio I.C.* editam 1635.

ROBERTUS.

QUi successit, *Robertus*, consecratus est à Donato Archiepiscopo Casselensi, anno 1210. Hic prædecessoris vestigia premens, vi multa ab episcopo Lismorensi eripuit. Lis, hac de re, diù

diu agitata hunc tandem habuit exitum, ut possessio à Tuamensi & Duacensi Præsulibus, Pontificis Delegatis, Lismorensi adjudicata fuerit, unà cum mulcta 160 marcarum per Waterfordienses ei pendenda. De novis hujus episcopi insolentiis & contumaciis longam habemus narrationem in Epistola Innocentii 3, data 6 Calend. Julii 1212, ad Norwicensem Glenfertensem & Enaghdunensem episcopos perscripta, quam inter ejusdem Innocentii Epistolas edidit jam dictus Bosquetus, ex M S. codice Bibliothecæ Collegii Exensis Tolosæ, anno 1635. In consimili lite inter *Robertum* hunc & *Robertum* de *Bedford* posteà Episcopum Lismorensem exorta, denuo succubuit, anno 1221. Sedit annos 12, & ex mœrore animi defecit 1222. Sub initium Præsulatus ejus, 6 nempe Calend. Julii 1210, *Innocentius* 3. Papa possessiones Decani & Canonicorum ecclesiæ cathedralis, sigillatim in diplomate expressas, confirmavit.

EOdem anno, *Guilielmus Wace*, Decanus Waterfordiensis, successor illi electus, regio assensu confirmatus est, Aprilis 7 1223. De quo nihil prætereà comperi.

VV*Alterus* quidam, monachus Benedictinus, Prior cœnobii S. *Johannis* Euangelistæ Waterfordiæ, episcopus electus assensum regium obtinuit 20 Augusti 1227.

STephanus hic Episcopus fuit annis 1238 & 1246. Sed quando aut consecratus fuerit, aut mortem obierit, haud comperi.

HENRICUS.

MArtii 11, (stylo Anglicano) 1249, *Henricus* Archidiacopus Waterfordiensis, episcopus electus Regio assensu confirmatus est. Julii verò 20 1251, licentia eligendi episcopum à rege concessa est Decano & Capitulo, nescio an per *Henrici* mortem, vel quam aliam ob causam.

WALTERUS.

WAlterus quidam, consecratus episcopus Waterfordiensis anno 1255, obiit sub finem anni 1272.

STEPHANUS de FULBURN.

S*Tephanus de Fulburn*, ordinis Hospitalariorum, consecratus 1273, anno insequenti Hiberniæ Quæstor sive (ut loquimur) *Thesaurarius* constitutus est. Factus postea Hiberniæ Justitiarius novum monetæ genus ibi percuti curavit. Vid. Annal. Hiberniæ à *Camdeno* editos, ubi ad an. 1279, falsò nominatur *Robertus*. Anno deinde 1286, 12 Junii, Tuamam translatus est, & temporalium illius sedis restitutionem accepit 15 sequentis Septembris. De illo, apud Tuamenses, plura.

WALTERUS de FULBURN.

W*Alterus de Fulburn*, ordinis Minorum, Hiberniæ Cancellarius *Stephani Fulburni* supradicti frater successit, & mortem obiit 1307, consecrationis 21, ex eo ordine primus qui hanc sedem obtinuit.

MATTHÆUS.

DEcembris 14, 1307, licentiâ eligendi à Rege concessâ Decano & Capitulo, successor electus est *Matthæus*, Præcentor ecclesiæ Waterfordiensis, 7 insequentis Februarii. Obiit 18 Decembris 1322, & in ecclesia sua sepultus est.

NICHOLAUS WELIFED.

DIe Palmarum proximo sequenti, *Nicholaus Welifed*, Decanus Waterfordiensis, consecratus est Waterfordiæ, unà cum Lismorensi & Fenaborensi Episcopis. Mortem obiit mense Junio 1337.

RICHARDUS FRANCIS.

R*Ichardus Francis*, Temporalium hujus sedis restitutionem obtinuit, Aprilis 6, 1338. Præfuit annos 10.

ROBERTUS ELYOT.

R*Obertus Elyotus*, electus & consecratus 1349, anno insequenti, *Clementis* 6 Pontificis mandato, quam ob causam non reperi, exauthoratus est.

ROGERUS CRADOCK.

ROgerus Cradocus, ordinis Minorum, per bullam *Clementis* 6, provisus episcopus Waterfordiensis 6. Calendas Martii (stylo Romano) 1350, Landaviam in Wallia migravit 1362, ubi præfuit annos 20. Dum episcopus esset Waterfordiensis, anno nempe 1353, inter eum & *Radulphum Kellæum* Archiepiscopum Casseliensem, magna exorta est contentio. Causa traditur, quòd Episcopo coram, apud castrum *de Bunraite*, in dioceli Laonensi, (licentiâ Metropolitani sui, ut opinor, non impetratâ) *duo Hibernici de Clankellans convicti fuerint de hæresi & combusti.* Addunt Annales MSS. in bibliotheca *Cottoniana*, unde hæc hausimus, *Archiepiscopum die Jovis proximo post festum S.*Francisci, *paulò ante mediam noctem, intrâsse clàm cœmeterium, S.*Trinitatis *Waterfordiæ, per porticulam S.*Katharinæ, *magnâ armatorum caterva stipatum, & insultum fecisse in Episcopum, in hospitio suo, eumque & plures alios cum eo graviter vulnerâsse, & de bonis suis spoliâsse, de consilio (ut dicitur)* Walteri Reve, *prætendentis se Decanum Waterfordiæ &* Guilielmi Sendal *Majoris Waterfordiæ.* Qua de re, vid. porrò *Luc.Wadding.*Tom.4. Annal.Minorum. De contentionis hujus exitu, nihil prætereà traditum reperi.

DE

DE Episcopis WATERFORDIENSIBUS ET LISMORENSIBUS.

THOMAS le REVE.

Thomas le Reve, Ecclesiæ Lismorensis Canonicus, Lismorensis episcopus Avenione renuntiatus est anno 1358, aliis 1362. Eo sedente Episcopatus Lismorensis & Waterfordiensis ab Urbano 5 Pontifice, anno 1363, *realiter* (ut loquimur) adunati sunt. Hæc unio ab *Edwardo* 3 Rege Angliæ confirmata est 7 Octobris 1363. Decessit anno 1393, admodùm senex. Fuit is ad tempus, anno nempe 1367, Hiberniæ Cancellarius. Non hic prætermittendum diù anteà, intentionem fuisse has duas sedes uniendi: Siquidem in *Rotulo clauso anni* 10 *Henrici* 3, *membrana* 28, inter Archiva arcis Londinensis, extat Regium mandatum, de unione utriúsque Episcopatus, *ita quòd sedes Episcopi remaneret apud Waterford.* Item, in *Rot. clauso* 12 *Hen.*3, *membr.*5. extant ea de re literæ Regis ad Papam. Quid irritum tunc reddiderit hoc consilium non reperi. Decreverat porrò Johannes 22 Papa, tempore *Edw.*2 Regis, *ut quovis ipsorum Præsulum cedente, vel decedente, una earundem ecclesiarum, esset episcopalis dignitas; & superstes sic episcopus esset utriusque ecclesiæ episcopus nominandus*, ut ex Archivis regiis itidem liquet, licèt irrito tunc temporis successu.

RO-

ROBERTUS READ.

Robertus Read, Dominicanus ſucceſſit 1394. Hinc pòſt biennium, *Carleolum* in Anglia tranſlatus eſt, & ante finem anni 1396, Ciceſtriam migravit, ubi (ut tradit *Godwinus*) crucem eximii operis in foro ſtatuendam curavit.

THOMAS SPARKFORD.

Thomas Sparkfordus, Presbyter ſecularis diœceſis Bathonienſis & Wellenſis in Anglia, cùm unicum duntaxat annum ſedisſet, obiit inteſtatus, menſe Junio 1397. *Thomam Colbium* Carmelitam Norwicenſem, S. Theologiæ Profeſſorem, virum facundum & in concionibus aſſiduum, à *Richardo* 2 Rege Angliæ *Liſmorenſis & Guaterfordenſis Eccleſiæ Epiſcopum deſignatum* aſſerit *Johannes Lelandus*, in libro ſuo de Scriptoribus Anglicis, quem MS. Oxoniæ in publica Bibliotheca vidi anno 1644. Si verò talis quiſpiam ad hanc ſedem conſecratus fuerit, admodùm exiguo tempore ſediſſe liquet.

JOHANNES DEPING.

Johannes Depingus, conſecratus 1397, mortem obiit 4 Februarii (ſtylo Anglicano) 1399.

THOMAS SNELLUS.

Thomas Snellus, Archidiaconus Glendelacenſis temporalibus hujus ſedis reſtitutus eſt Novembris 16 1399, & cùm ſediſſet annos circiter 6, ad Epiſcopatum Oſſorienſem tranſlatus eſt. De illo vide plura, inter Oſſorienſes.

ROGERUS.

Rogerus hic naturæ ceſſit anno 1409, cùm præfuiſſet annos duntaxat 3, & aliquot menſes.

JOHANNES GEESE.

DEcimo Calendas Septembris 1409, *Johannes Geeſe*, Carmelita, ab *Alexandro* 5 Papa proviſus ſucceſſit, & 22 Decembris 1425, migravit ex hac vita.

RICHARDUS.

Richardus quidam, Archidiaconus Liſmorenſis, à Martino 5 Pontifice proviſus eſt anno 1426. Obiit Maii 7 1446, cùm præfuiſſet annos 20, & Waterfordiæ, in pariete eccleſiæ ſuæ cathedralis tumulo conditus eſt. De morte hujus *Richardi*, fama increbuerat, ſed falſa, anno 1438. Hinc autem, *Henricus* 6 Rex Angliæ litteras perſcripſit commendatitias, ad Eugenium 4 Pontificem, in gratiam *Thomæ Brid*, ordinis Prædicatorum, & S.Theologiæ Profeſſoris, ut ſuccederet. Sed vita *Richardi* hunc conatum reddidit inefficacem.

ROBERTUS POER.

ANte finem ejuſdem anni, ſucceſſit *Robertus Poer*, Decanus (ni fallor) Limericenſis. Licentiam ab *Edwardo* 4 rege is obtinuit acquirendi ſibi ſucceſſoribúſque prædia annui valoris 40 librarum. Eo porrò ſedente, Decanus & Capitulum hujus Eccleſiæ, anno 1463, ab eodem rege, *in augmentationem divini cultus ibidem*, (uti verba ſunt chartæ) facultatem impetrârunt fundos acquirendi ad annuum valorem 100 marcarum. Deceſſit *Robertus* hic circa annum 1471, vir ob eleëmoſynas & hoſpitalitatem multùm laudatus.

RICHARDUS MARTIN.

Richardus Martin, ordinis Minorum, S.Theologiæ Profeſſor, Proviſione Pontificia, 7 Idus Martii 1472 deſignatus eſt ſucceſſor.

JOHANNES BOLCOMP.

Johannes Bolcomp conſecratus anno 1475, vel 1476, ex hac vita migravit 1479.

NICOLAUS O-HENISA.

Nicolaus O-Heniſa, Monachus Ciſtertienſis, Abbas Cœnobii B.Mariæ de Fermoy, al.*de Caſtro Dei*, ſucceſſor ejus à Sixto 4 Pontifice proviſus eſt, 20 Maii 1480, & præfuit annos plùs minùs 5. Eo ſedente, *Jacobus Rice* Civis Waterfordienſis, capellam ſpecioſam conſtruxit in eccleſia cathedrali, quæ in feſto S.*Nicolai* 1482, ab Hediano Epiſcopo Oſſorienſi, S.Jacobo majori & S.Katharinæ virgini dedicata eſt.

THO-

THOMAS PURSELLUS.

SUcceſſit illi *Thomas Purſellus*, anno 1486. Antiquas Eccleſiæ ſuæ Liſmorenſis chartas, inter alias Antiquitates, per amanuenſem ſuum *Johannem Ruſſellum*, dictæ Eccleſiæ Oeconomum, in Regeſtum is redigi curavit, anno 1486, quod pòſt multos annos (anno nempe, 1617) Lancaſtero ſedente, magno ſedis detrimento, fortuito incendio periit. Deceſſit circa annum 1517.

NICOLAUS COMIN.

Nicolaus Cominus, patriâ ni fallor Limericenſis, conſecratus eſt Epiſcopus Fernenſis, Londini, in eccleſia S. *Pauli*, Januarii 20 1509. Præfuit ibi annos circiter 10, & hûc tunc tranſlatus eſt. Is chorum eccleſiæ ſuæ cathedralis Waterfordiæ, à *Roberto Lombardo* Decano adjutus, multum ornavit, & teſtudine picturis operis egregii ornatâ operuit, 1522. Menſe tandem Julio 1551, grandævus tunc & valetudinarius reſignavit.

PATRICIUS WALSH.

Patricius Walſh, Decanus Waterfordienſis conſecratus eſt menſe Auguſto 1551. Decanatu ad tempus, per diſpenſationem retento. Mortem obiit anno 1578.

MARMADUCUS MIDDLETON.

*Marmaduc*us *Middletonus*, Eccleſiæ Killarenſis in diœceſi Midenſi Rector, ſucceſſit 1579, & ad Epiſcopatum Menevenſem in Wallia tranſlatus eſt 1582. *Petrus Heylinus*, in Examine ſuo Hiſtorico Londini Anglicè edito, anno 1659. pag. 221. Lamethæ, eum poſteà degradatum fuiſſe aſſerit & exauctoratum.

MILERUS MAGRAGH.

JAnuarii 7 (ſtylo Anglicano) 1582, *Milerus Magragh*, aliàs *Magrath*, Archiepiſcopus Caſſelienſis, conſtitutus eſt etiam Waterfordienſis & Liſmorenſis Commendatarius, quem locum tenuit ad annum 1589, quando Reginæ *Elizabethæ* viſum Epiſcopatum concedere *Thomæ Wetherhead*. *Thoma* verò triennio poſtea defuncto, iterum Commendatarius factus 19 Decembris 1592, ſedem poſtea adminiſtravit, uſque ad 22 Februarii 1607, quo reſignavit.

THO.

THOMAS WETHERHEAD.

THomas Wetherhead, Præſes ſive *Guardianus* Collegii novi B. Mariæ de Youghall, conſecratus à Milero Archiepiſcopo Caſſelienſi, anno 1589, Obiit 1592. Tumque jam dictus Milerus Commendatarius (uti diximus) conſtitutus eſt Epiſcopus.

JOHANNES LANCASTER.

REſignanti Milero, anno 1607, *Johannes Lancaſterus, Jacobo* regi à ſacris, ſucceſſor deſignatus eſt, ac conſecratus brevi poſteà. Deceſſit Waterfordiæ, anno 1619, & in eccleſia ſua ſepultus eſt.

MICHAEL BOYLE.

MIchael Boyle, S.Theologiæ Doctor, ex Academia Oxonienſi, & Decanus Liſmorenſis, vir cultiſſimi ingenii, conſecratus ſub exitum anni 1619, deceſſit Waterfordiæ, Decembris 27 1635, & ibidem in eccleſia Cathedrali S.Trinitatis ſepultus eſt.

JOHANNES ATHERTON.

JOhannes Athertonus ſucceſſit, anno 1636, & ob crimen non nominandum damnatus & degradatus, ſuſpendio ſtrangulatus eſt, Decembris 5 1640. Sed dum in carcere detentus eſſet, valdè pœnitentem ſe oſtendit, lachrymis & ſuſpiriis multis, anteactæ vitæ peccata deplorans.

ARCHIBALDUS ADAIR.

ARchibaldus Adair Scotus, Decanus Rapotenſis, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S.Patricii, Epiſcopus Alladenſis & Achadenſis, unà cum *Jacobo Higato* Fenaborenſi, Maii 9, 1630, & Maii 18 1640, ob verba quædam ſeditioſa, depoſitus. Julii tamen 13 1641, ſedem Waterfordienſem & Liſmorenſem, *Caroli* I Regis gratiâ, depoſitionis ſententiâ non obſtante, conſequutus eſt. Obiit Briſtoliæ in Anglia, circa annum 1647.

GEORGIUS BAKER.

GEorgius Bakerus, S.Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Dublinlique natus, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S.Patricii, 27 Januarii (ſtylo Anglicano) 1660.

DE

DE Epiſcopis LISMORENSIBUS

Uſque ad annum 1363.

QUO

Epiſcopatus WATERFORDIENSIS ET LISMORENSIS

adjuncti fuerunt & adunati.

S. CARTHAGUS.

SAnctus *Carthagus*, vulgò dictus *Mochudu*, patriâ Momonienſis, Abbas fuit primùm celeberrimi cœnobii Rathenenſis, cui & præfuit annos 40. Sed ex eo tandem, anno ſc. 631, à *Blathmaco* rege pulſus, primus Eccleſiæ Liſmorenſis evaſit Epiſcopus. Eccleſiam Cathedralem, necnon Scholam inſignem ibi conſtruxit, in qua multi olim Philoſophiam veram profitebantur. Mortem obiit, poſt multa ſanctitatis edita ſigna, 14 Maii anno 638, vel, ut alii habent, 637, & *Liſmoræ*, (quæ ſepimentum magnum ſignificat) in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Scholam Liſmorenſem ad tempus rexiſſe dicitur S. *Cataldus*, poſteà Tarentinus in Italia Epiſcopus,

pus, ad quam *undique ex finitimis ac remotis regionibus, innumeros penè homines* confluxiſſe, refert in ejus vita, *Bartholomæus Moronus*. Id quod oſtendit etiam ejuſdem Cataldi Officium. Cæterùm hinc, inter alia colligere licet *Cataldum*, non anno 170, ut *Moronus* habet, neque ſub initium Seculi ſexti, ut *Alexander* ab *Alexandro* & *Antonius Caracciolus* volunt, ſed ſub medium potiùs Seculi Septimi claruiſſe, poſt obitum nempe S. *Carthagi*, Scholæ Liſmorenſis fundatoris. Hanc opinionem firmat multitudo ea credentium in Hibernia, S. *Cataldi* ævo, à *Morono* memorata, quæ ad ſeculum ſecundum ſine dubio referri non poteſt. Siquidem Hibernia, eo ſeculo & diù poſteà, Ethniciſmi tenebris obvoluta jacuit. Sed hæc obiter. Eccleſiam cathedralem reſtauravit *Cormacus* filius *Mureti* Rex Momoniæ, circa annum 1130. De antiqua Urbis Liſmorenſis celebritate, Corollarii loco, audi vetuſtum vitæ S. *Carthagi* Scriptorem; *Egregia & ſancta civitas eſt Leſsmor, cujus dimidium eſt Aſylum, in quo nulla mulier audet intrare, ſed plenum eſt Cellis & Monaſteriis ſanctis. Et multitudo virorum ſanctorum illic manet. Viri autem religioſi ex omni parte Hiberniæ, & non ſolùm, ſed ex Anglia & Britannia, confluunt ad eam, volentes ibi migrare ad Chriſtum. Et eſt ipſa civitas poſita ſuper ripam fluminis quondam dicti Nem, modo autem Aban-mor, id eſt amnis magnus, in plaga regionis Nan-Deſi.*

Succeſſorum S. *Carthagi* in ſede Liſmorenſi, ante *Malchum* (de quo poſteà) exigua ſupereſt memoria.

Hierologus obiit 16 Januarii, 698.

Colmanus, aliàs *Mocholmocus*, *Finbarri* filius, qui ſucceſſit, obiit anno 702, Januarii 22.

S. *Cronanus*, filius *Nethſemonis*, vir doctus, dictus *Sapiens*, nobili ortus proſapia, mortem obiit 9 Februarii, anno 717.

Colmanus O-Liathan deceſſit circa annum 725.

Macogius obiit 746.

Ronanus obiit 763.

Qui primus jam occurrit poſt *Ronanum* Liſmorenſis epiſcopus, eſt *O-Mail-Sluaig*, dictus *Comorba Mocudu*. Obiit is 1025.

Moriertach O-Selbac obiit 1034.

Mac-Airthir, obiit 1064.

Mæl-duin O-Rebacain, obiit 1091.

Mac-mic-Æducan, obiit 1113.

Gilla-Mocudu O-Rebacain, obiit anno 1129.

MALCHUS.

Malchus claruit anno 1140. *Hic erat ſenex* (inquit S. *Bernardus* in vita *Malachiæ*) *plenus dierum & virtutum, & ſapientia Dei erat in illo*, &c. An alius fuerit à *Mælmonecho O-Lonſec*, quem Annales noſtri Epiſcopum vocant Liſmorenſem, & obiiſſe perhibent anno 1150, quærant alii.

CHRI-

CHRISTIANUS O-CONARCHY.

Chriſtianus O-Conarchy, monachus quandoque Ciſtertienſis in cœnobio Clarevallenſi, ſub S. *Bernardo*, à quo in Hiberniam remiſſus, factus eſt primus Abbas Mellifontis, anno 1142. Ad Liſmorenſem ſedem poſteà ſacratus, circa annum 1150, Pontificis etiam Legatus in Hibernia conſtitutus eſt. Hunc aliqui falsò aſſerunt factum fuiſſe Archiepiſcopum Armachanum, alii epiſcopum Dunenſem, uti clarè oſtendit *Johannes Colganus*, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad 18 Martii. Eo ſedente, celebrata eſt Synodus Kenanuſæ, ſive Kenliſæ, anno 1152, cui præfuerunt *Johannes Paparo* Cardinalis, Legatus à latere & hic noſter Chriſtianus. Præfuit poſteà Chriſtianus Synodo apud *Brigh-thaig* coactæ, anno 1158. De qua ſuprà diximus, in *Flathberto O-Brolcan* epiſcopo Derenſi. Mortem obiit admodùm ſenex, anno 1186, & in cœnobio ſui ordinis de *Odorney*, aliàs *Kyrieleyſon*, ſepultus eſt, cùm terrena averſatus, diu ante obitum, epiſcopatu ſe ſponte abdicâſſet. In Annalibus cœnobii Inisfallenſis traditum reperi Epiſcopum quendam *O-Cerbail* obiiſſe Liſmoræ 1167. Sed ibi non exprimitur, cujus loci fuit epiſcopus, ita ut non poſſum pro certo eum numerare, inter epiſcopos hujus ſedis.

FELIX.

Felix quidam epiſcopus Liſmorenſis interfuit Concilio Lateranenſi anno 1179, ut ex notis *Johannis Picardi*, ad *Guilielmum* Neubrigenſem intelligimus. Sed quando aut conſecratus fuerit, aut mortem obierit, non comperi. Dedit is cœnobio vulgò dicto *Thomas-court*, juxta Dublin. Eccleſiam S. *Johannis Liſmoræ*, ut è Regeſto illius cœnobii liquet.

O-HEDA.

IN Annalibus cœnobii Inisfallenſis fit mentio cujuſdam epiſcopi *O-Heda* cognominati, qui obiiſſe dicitur anno 1206, apud *Slencua, in itinere*. Fortaſsè epiſcopus fuit Liſinorenſis, & idem cum Felice antedicto. Quis proximus ſucceſſerit non reperi.

ROBERTUS de BEDFORD.

Robertus de Bedford, ita dictus quòd Bedfordiæ in Anglia natus, electus epiſcopus Liſmorenſis, confirmatus eſt ab *Henrico* 3 Rege Angliæ, 13 Decembris 1218, & ante finem ejuſdem anni, Londini conſecratus. Electus is fuerat ad Epiſcopatum Glen-

Glendelacenſem, poſt obitum *Guilielmi Pironis*, ſed irrito ſucceſſu, ſiquidem ea ſedes annexa tunc fuit cathedræ Dublinienſi, uti ſuprà notavimus, in vita *Henrici Loundres* Archiepiſcopi Dublinienſis. Inter *Robertum* hunc & *Robertum* Waterfordienſem epiſcopum, de poſſeſſionibus hujus ſedis, quas Waterfordienſis invaſerat, magna mox orta eſt contentio. Demum verò, in hac cauſa, anno 1221, jus adjudicatum eſt Liſmorenſi, à Pontificis Delegatis, *Pandulpho Maſca* nempè Norwicenſi electo, Pontificio legato, *Stephano Langtono* Archiepiſcopo Cantuarienſi & *Benedicto Roffenſi* epiſcopo : ut ex *Archivis* Regiis liquet. Addit Auctor Annalium Prioratus de Dunſtaple, *Waterfordienſem condemnatum Liſmorenſi in* 300 *marcis, pro fructibus, expenſis*, &c. Sed brevi poſteà anno ſc. 1222, *Robertus* hic è vivis exceſſit.

GRIFFINUS CHRISTOPHER.

Griffinus Chriſtopher, Cancellarius Liſmorenſis, ejuſdem ecclesiæ epiſcopus electus, regium obtinuit aſſenſum 8 Novembris 1223, ſed non conſecratus, (quam ob cauſam non reperi) ante annum 1227. Vicarios chorales in eccleſia Liſmorenſi, is primus inſtituit. Obiit 1246.

ALANUS O-SULLIVAN.

Alanus O-Sullivan, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Clonenſis huc tranſlatus 1248, vita functus eſt 1252.

THOMAS.

DEcano & Capitulo eccleſiæ Liſmorenſis, conceſsâ à rege (Aprilis 27 1253) defuncto Alano, ſucceſſorem eligendi facultate, elegerunt illi canonicè *Thomam* quendam *Theſaurarium* Liſmorenſem, qui regio aſſenſu confirmatus eſt 27 inſequentis Julii. Deceſſit 1270, & in eccleſia ſua ſepultus eſt. Biennio ante mortem, lite neſcio quâ inter eum & *Matthæum le Poër* exortâ, à *Poëro* comprehenſum & ad tempus captivum detentum ferunt.

JOHANNES de RUPE.

Johannes de Rupe, aliàs *Roch*, genere nobili ortus, Præcentor Liſmorenſis, anno 1270 electus & confirmatus, ſedit annos fermè 9, & diem obiit ſub feſtum Pentecoſtes 1279.

RI-

RICHARDUS COR.

Richardus Cor, Cancellarius Liſmorenſis, ſucceſſor electus aſſenſum regium obtinuit Octobris 24 1279. Inter illum & *Stephanum Fulburnum* epiſcopum Waterfordienſem, de prædiis quibuſdam, magna exorta eſt contentio, quæ non terminata ante tranſlationem *Stephani* ad Archiepiſcopatum Tuamenſem, denuò excitata eſt inter eum & *Walterum Fulburnum Stephani* ſucceſſorem in ſede Waterfordienſi, ſed compoſita tandem anno 1288, ut ex Archivis regiis liquet. Obiit paulò ante feſtum omnium Sanctorum, 1308, & in eccleſia ſua ſepultus eſt. Novembris deinde inſequentis 24, data eſt à rege, Decano & Capitulo, ſucceſſorem eligendi poteſtas.

GUILIELMUS le FLEMING.

SUb exitum ejuſdem anni, vel initium inſequentis, ſucceſſit *Guilielmus le Fleming*, ſive Flandrenſis, Archidiaconus Liſmorenſis, qui exceſſit è vivis, circa Novembrem 1321. Decembris inſequentis 13, *Edwardus* 2 Rex liberæ electionis facultatem conceſſit Decano & Capitulo.

JOHANNES LEYNAGH.

DIe Palmarum 1323, *Johannes Leynagh*, Presbyter ſecularis, conſecratus eſt Liſmorenſis epiſcopus, Waterfordiæ, unà cum Waterfordienſi & Fenaborenſi epiſcopis. Obiit paulo ante feſtum natalis Domini 1354. Ob recuperatas ſedis ſuæ poſſeſſiones, de ſucceſſoribus benè meritus. Vacavit deinde ſedes per aliquot annos.

THOMAS le REVE.

THomas *le Reve*, eccleſiæ Liſmorenſis Canonicus, proviſione Pontificiâ renuntiatus eſt Epiſcopus Liſmorenſis, Avenione, anno 1358. Illo ſedente, Epiſcopatus Waterfordienſis & Liſmorenſis *realiter* (ut loquimur) uniti fuerunt, anno 1363. Obiit admodùm ſenex, 1393. Fuit is ad tempus Hiberniæ Cancellarius. De ſucceſſoribus ejus, vide quæ ſuprà diximus, in Catalogo Epiſcoporum Waterfordienſium & Liſmorenſium.

DE Episcopis CORCAGIENSIBUS.

S. BARRUS al. FINBARRUS.

SAnctus *Barrus*, aliàs *Finbarrus*, sive *Barrus* albus, dictus etiam anteà *Lochanus*, in Conatia natus, primus fuit Episcopus Corcagiensis. Ecclesiam cathedralem is ibi loci fundavit ineunte Seculo septimo, & cùm annos sedisset 17, vel secundùm alios, annos solùm 7, Clonæ, quæ Corcagiâ 15 circiter milliaria distat, 7 Calendas Octobris, amicis circumstantibus, placidâ morte obiit. Quo anno obierit, non est omninò certum. Corpus ejus Corcagiam deinde deportatum, ibi in ecclesia sua honorificè sepultum est, & ossa, nescio quàm diù posteà, capsulæ argenteæ indita.

Ad successores ejus quod attinet, ad Anglorum usque ingressum, fatendum est eorum notitiam perexiguam supereſſe. Hi memorantur ab Historicis nostris.

S. *Nessanus*, S. *Barri* discipulus, in schola juxta lacum *Logh-eirc*, educatus. Hujus memoria celebratur Corcagiæ, 17 Martii. De anno autem quo obierit nihil traditum reperi.

Selbacus, decessit 773.

Cathmogan, obiit 961.

Columba mac Ciarucain, dictus *Comarba Barri*, obiit 990.

Cellacus O-Selbac obiit in peregrinatione, anno 1026.

Neil O-Mailduib, obiit 1027.

Airtri-sairt, obiit 1028.

Cathalus, obiit 1034.

Mugronus O-Mutan (dictus *Comarba Barri & Episcopus*) à suis noctu, nefariè occisus est, 1057.

O-Selbaic, obiit 1086.

Mac-

Maclothod O-Hailgenan, obiit 1107.

Patricius O-Selbac, obiit 1111.

Vacavit ſedes Corcagienſis, circa annum 1140. Tunc *homo quidam pauper, alienigena*, (ut teſtatur S. *Bernardus* in vita S. *Malachiæ*) *ſanctus tamen & doctus*, ab ipſo *Malachia*, nominatus eſt Epiſcopus, & *in cathedram miſſus, clero & populo collaudante*. Nomen autem Epiſcopi non ibi editur.

GILLA-ÆDA O-MUGIN.

Gilla-Æda O-Mugin, patriâ Conatienſis, Abbas cœnobii de *Antro S. Finbarri* juxta Corcagiam, interfuit Synodo Kenanuſæ habitæ, ſub *Johanne Paparone* Cardinale, Pontificis Legato à latere, & Chriſtiano *O-Conarchy* epiſcopo Liſmorenſi, altero Legato, anno 1152. Deceſſit anno 1172. Homo propter plurimas virtutes, apud Hiſtoricos Hibernicos celeberrimus. Ab illo nomen retinet cœnobium illud Canonicorum regularium ordinis S. *Auguſtini* de Antro S *Finbarri*, Gille-Abbey vulgò appellatum. Numeratur etiam inter primarios Benefactores Eccleſiæ Corcagienſis.

GREGORIUS.

EOdem anno ſucceſſit illi *Gregorius* quidam. Dedit is cœnobio juxta Dublin, quod vulgò *Thomaſcourt* dicimus, eccleſiam S. *Neſſani*, Corcagiæ. *Neſſanus* ille diſcipulus fuit S. *Barri* primi Corcagienſis Epiſcopi de quo ſuprà diximus. Præfuit *Gregorius* annos plùs minùs 14.

REGINALDUS.

Reginaldus ſucceſſit, ſed quando aut conſecratus fuerit, aut mortem obierit, non comperi.

O-SELBAIC.

IN Annalibus cœnobii Inisfallenſis, ad annum 1205, fit mentio obitus cujuſdam *O-Selbaic* Epiſcopi, Corcagiæ. Non poſſum non ſuſpicari Reginaldum & iſtum unum eundemque fuiſſe hominem. Qui epiſcopus fuit anno 1199, confirmationem tunc impetravit ab *Innocentio* 3 Pontifice, omnium poſſeſſionum ſedis Corcagienſis, quarum catalogum habemus in Decretalibus epiſtolis ejuſdem Innocentii.

GAL-

GALFRIDUS ALBUS.

QUis illi proximus ſucceſſerit traditum non reperi. Sede autem vacante 1215, *Henricus* 3 rex Angliæ anniſus eſt ſufficere Galfridum Album, (ſive *White*) in cujus gratiam, litteras perſcripſit ad Archiepiſcopos Dublinienſem & Caſſelienſem, in quibus *virum* eum appellat *litteratum, providum & honeſtum*. Non conſtat autem, an conſecratus fuerit, necne.

MARIANUS O-BRIEN.

M*Arianus O-Brien*, proviſione Pontificiâ, epiſcopus renuntiatus Corcagienſis, Caſſeliam tranſlatus eſt 1224. In Archivis arcis Londinenſis, is Mauritius appellatur. Ibi etiam traditum reperi eum ad Papæ rogatum, aſſenſum regium obtinuiſſe 25 Auguſti 1224. De illo fusiùs inter Caſſelienſes.

GILBERTUS

JUnii 15 1225, *Gilbertus*, Archidiaconus Corcagienſis, à Rege probatus, ante finem ejuſdem anni conſecratus eſt. Deceſſit circa annum 1238.

LAURENTIUS.

L*Aurentius* quidam, qui ſucceſſit, obiit 1264. Martii deinde 27 1265, poteſtas eligendi ſucceſſorem, à rege *Henrico* 3 conceſſa eſt Decano & Capitulo eccleſiæ Corcagienſis.

GUILIELMUS de JEREPONT.

G*Vilielmus de Jerepont*, Monachus Ciſtertienſis cœnobii *Jerepontis*, in agro Kilkennienſi, temporalibus hujus ſedis reſtitutus eſt, 28 Novembris 1266. Si conſecratus is fuerit, exiguo præfuit tempore, ſiquidem comperi *Reginaldum* quendam anno ſequenti hunc Epiſcopatum obtinuiſſe.

REGINALDUS.

R*Eginaldo*, Theſaurario Caſſelienſi temporalia ſive prædia laica hujus ſedis reſtituta ſunt, Auguſti 5 1267. Deceſſit Corcagiæ, menſe Decembri 1276, & ibidem, in eccleſia cathedrali S. *Barri* ſepultus eſt.

RO-

ROBERTUS MAC-DONOGH.

SUccesſit anno 1277, *Robertus Mac-Donogh*, monachus Ciſterciensis, vir doctus, qui præfuit annos 24. Obiit 7 Martii (ſtylo Anglicano) 1301.

JOHANNES MAC-CARWILL.

Johannes Mac-Carwill, al. *O-Carroll*, eccleſiæ Corcagienſis Decanus, totius Capituli conſenſu, in epiſcopum poſtulatus, aſſenſum regium obtinuit Junii 12 1302. Hinc ad ſedem Midenſem, à *Johanne* 22 Pontifice, tranſlatus eſt 1321, & poſteà ad Archiepiſcopatum Caſſelienſem 1327. De illo plura, inter Caſſelienſes.

PHILIPPUS de SLANE.

Philippus de Slane, ita (ut opinor) dictus, quòd *Slanæ* in Midia natus, ordinis Prædicatorum, à Papa proviſus, temporalibus reſtitutus eſt, Julii 17 1321, Poſt triennium deinde ab *Edwardo* 2 rege, ad Papam miſſus, munus ei demandatum adeò ſolerter executus eſt, ut poſt reditum, Conſiliariis regiis in Hibernia annumeratus fuerit. Obiit anno 1326, & ante finem ejuſdem anni, *Johannes le Blond*, Decanus Clonenſis ad hunc epiſcopatum electus eſt. Si conſecratus is fuerit, exiguò tempore præfuit, nam 12 Maii, 1327, licentiam à rege eligendi Epiſcopum, conceſſam comperi Decano & Capitulo.

WALTERUS le REDE.

Walterus le Rede (ſive *Rufus*) Canonicus eccleſiæ Corcagienſis à *Johanne* 22 Pontifice proviſus, reſtitutionem temporalium hujus ſedis à Rege obtinuit Octobris 18 1327. Hinc Caſſeliam tranſlatus eſt ab eodem Pontifice, 1330.

JOHANNES de BALICONINGHAM.

Johannes de Baliconingham, Rector eccleſiæ Ardwhinenſis in dioceſi Dunenſi, à Priore & conventu eccleſiæ cathedralis S. *Patricii*, in epiſcopum Dunenſem electus, regio aſſenſu confirmatus eſt Auguſti 21 1328, ac fructus prædiorum epiſcopalium regio itidem mandato, ad tempus recepit. Cæterum à Papa (*Johanne* 22) rejecta eſt ea electio, unde pontificatu ſperato excidit. Anno tamen 1330, ab ipſo Pontifice, ad epiſcopatum Corcagien-

ſem promotus eſt. Obiit 4 Calendas Junii 1347, cùm hîc loci ſediſſet annos circiter 17.

JOHANNES de RUPE.

Johannes de Rupe, aliàs *Roch*, eccleſiæ Corcagienſis Canonicus, vir nobili ortus proſapiâ, à Decano & Capitulo electus ſucceſſit, à *Radulpho Kellæo* Archiepiſcopo Caſſelienſi, circa feſtum Natalis Domini 1347, conſecratus. Sedit annos 10 & menſes 6. Mortem obiit 1358, Julii 4.

GERALDUS de BARRY.

Geraldus de Barry, ex nobili & antiqua *Barriorum* ortus proſapia, Decanus (ni fallor) Corcagienſis, conſecratus anno 1359, ſedit annos pluſquàm 34. Deceſſit nonagenarius, longâ ægritudine fatigatus, Januarii 4 (ſtylo Anglicano) 1393, ac in eccleſia ſua ſepultus eſt.

ROGERUS ELLESMERE.

FRater *Rogerus Elleſmere*, à *Bonifacio* 9 Pontifice proviſus, poſt præſtitam regi fidelitatem, Temporalibus reſtitutus eſt 31 Martii 1396. Sedit annos 10.

GERALDUS.

SUcceſſit illi anno 1406, quidam nomine *Geraldus*. De quo præterea, nihil reperi memoratum.

PATRICIUS RAGGED.

QUi illi ſucceſſit, *Patricius Ragged*, ad eccleſiam Oſſorienſem tranſlatus eſt anno 1417, cui præfuit annos 4. Dum epiſcopus eſſet Corcagienſis, annis nempè 1415 & 1416, interfuit Concilio generali Conſtantienſi, ubi ob eruditionem & alias animi virtutes, magnam conſecutus eſt venerationem.

MILO filius JOHANNIS.

Milo filius *Johannis*, ſive *fitz-John*, Decanus Corcagienſis, conſecratus 1418, deceſſit 1430.

EPIS-

Epiſcopi CORCAGIENSES ET CLONENSES.

JORDANUS.

DEfuncto Milone, cuſtodia hujus Epiſcopatus commiſſa eſt ad tempus, *Nicolao* epiſcopo Ardfertenſi & *Richardo Scurlago* Archidiacono Corcagienſi. Sed ante finem anni 1430, *Jordanus* Cancellarius Limericenſis, à *Martino* 5 Papa, ad epiſcopatus Corcagienſem & Clonenſem, ſimul vacantes, tunc *canonicè unitos*, promotus eſt. Temporalium tamen reſtitutionem non accepit (quam ob cauſam non reperi) ante 25 Septembris 1431. Sedit annos plùs minùs 30.

GERALDUS FITZ-RICHARD.

G*Eraldus Fitz-Richard* ſucceſſit. Cœnobio de Choro Benedicti appropriavit vicarias de Clonmolt, Danigin, Donilbam & Balli-Iſpellany. Mortem obiit 1479.

GUILIELMUS ROCH.

ILlum ſequutus eſt *Guilielmus Roch*, aliàs *de Rupe*, qui reſignavit anno 1490.

THADDÆUS MAC-CARTY.

POſt *Guilielmi* reſignationem, *Thaddæus Mac-Carty*, aliis *Mechar*, eodem anno, ab Innocentio 8 proviſus eſt, ut ex Collectaneis *Franciſci Haroldi* intelligimus.

GE-

GERALDUS.

GEraldus quidam Episcopus Corcagiensis & Clonensis resignâsse perhibetur 1499.

JOHANNES filius EDMUNDI.

Johannes filius *Edmundi*, è clara familia Geraldinorum ortus successor illi designatus est provisione Pontificiâ, 6 Calendas Julii 1499. Quando obierit nondum reperi.

JOHANNES BENNET, al. FERRET.

Johannes Bennet, vel (secundùm alios) *Ferret*, è vivis excessit anno 1536.

DOMINICUS TIRREY.

Dominicus Tirræus, Rector ecclesiæ Shandonensis, in successorem electus, *Henrici* 8 regis mandato, ab *Edmundo Butlero* Archiepiscopo Cassellensi, ac Rossensi, Limericensi & Imelacensi Episcopis consecratus est 1536. Eo sedente, à *Paulo* 3 Pontifice, provisus est Episcopus, *Ludovicus Mac-Nemarra*, ordinis Minorum, Septembris 24 1540, & *Ludovico* intra pauculos dies Romæ defuncto, successor à Papa itidem per provisionem, designatus est 5 insequentis Novembris, *Johannes Hoyeden* Canonicus ecclesiæ Elphinensis. Attamen *Tirræus*, cui Episcopatum contulerat *Henricus* 8, toto suo tempore, fructus recepit Episcopales. Sedit annos circiter 20.

ROGERUS SKIDDY.

Rogerus Skiddæus, Decanus (ni fallor) Limericensis, *Tirræo* successor datus est à *Maria* Regina, & temporalibus sive prædiis episcopalibus restitutus, à 18 Septembris 1557. Præfuit annos 9, & aliquot menses. Resignavit Martii 18 (stylo Anglicano) 1566. Vacavit deinde sedes annos fermè 4.

RICHARDUL DIXON.

Richardus Dixon, Præbendarius de Rathmichiel, in diœcesi Dublinensi, consecratus anno 1570, anno deinde sequenti, quam ob causam non reperi, deprivatus est.

MAT-

MATTHÆUS SHEYN.

Mattheus Sheyn, ſucceſſit, conſecratus 1572, obiit 13 Junii 1582, vel, ut alii tradunt menſe Auguſto 1583. Is fuit fortaſſe *Sheinus* ille, quem *Richardus Stanihurſtus*, in Deſcriptione Hiberniæ, cap. 7, educatum aſſerit Oxonii & Pariſiis, & ſcripſiſſe *de Republica*.

GUILIELMUS LYON.

Guilielmus Lyon, vicarius Naaſenſis, *Arthuri* Baronis Greii Hiberniæ Proregis ſacellanus, patriâ Ceſtrienſis, conſecratus eſt epiſcopus Roſſenſis, 1582. Poſteà Corcagienſem & Clonenſem epiſcopatum, reginæ *Elizabethæ* conceſſione, conſequutus eſt. Ædes epiſcopales Corcagiæ is de novo conſtruxit, in quarum ſtructurâ & ornatu, mille libras impendit. Deceſſit grandævus, Corcagiæ, Octobris 4 1617, & ibidem in eccleſia cathedrali ſepultus eſt.

JOHANNES BOYLE.

Johannes Boyle, in Cantio natus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Oxonienſi, frater *Richardi Boyle* Baronis Youghallæ, poſteà comitis Corcagiæ, & ſummi Hiberniæ Quæſtoris, conſecratus 1618, Roſſenſem etiam epiſcopatum rexit Commendatarius. Deceſſit 1620, & Youghallæ ſepultus eſt.

RICHARDUS BOYLE.

Richardus Boyle, Decanus Waterfordienſis, & Archidiaconus Limericenſis, *Michaelis Boylei* frater, Waterfordienſis & Liſmorenſis epiſcopi, ad epiſcopatus Corcagienſem, Clonenſem & Roſſenſem à *Jacobo* rege promotus, conſecratus eſt 1620, & Maii 30 1638, ad Archiepiſcopatum Tuamenſem tranſlatus. Martii poſteà 19 (ſtylo Anglicano) 1644, deceſſit Corcagiæ, (paulò poſt reditum ſuum à Briſtolia) & in eccleſia cathedrali S. Finbarri ibidem, tumulo conditus eſt, quem, dum epiſcopus eſſet Corcagienſis, ſibi præparaverat. Nec ſilentio eſt prætereundum, plures eccleſias ruinoſas ab eo fuiſſe reſtauratas, & novas conſecratas, dum epiſcopus eſſet Corcagienſis, quàm ab aliquo alio epiſcopo, his noſtris temporibus. Id quod obſervavit D. *Edwardus Worthus* (nunc epiſcopus Laonenſis) in funebri concione.

RICHARDUS CHAPPEL.

Richardus Chappell, S. Theologiæ Bacalaureus, in Collegio Chriſti Cantabrigiæ educatus, Decanus Caſſelienſis & Præpoſitus Collegii S. Trinitatis juxta Dublin. conſecratus eſt epiſcopus Corcagienſis & Roſſenſis, Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, 11 Octobris 1638. Anno deinde 1641, ortâ rebellione, procellas temporis metuens, in Angliam ſe contulit, ac Derbiæ mortem obiit, anno 1648, unde corpus Bilſthorpam deportatum in pago Nottinghamienſi, ibidem ſepulturæ traditum eſt. Opes quas moriens reliquit in pios uſus erogandas mandavit.

MICHAEL BOYLE.

Michael Boyle, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Clonenſis, conſecratus eſt Epiſcopus Corcagienſis, Clonenſis & Roſſenſis, Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, 27 Januarii 1660, & Dublinium tranſlatus, menſe Decembri 1663.

EDWARDUS SINGE.

QUi hodiè præeſt, *Edwardus Singe*, S. Theologiæ Doctor ex Dublinienſi Academia, natus eſt in opido Bridgenorthenſi, apud Salopienſes in Anglia, ac inde à fratre ſuo natu maximo *Georgio Singeo*, Clonenſi poſteà epiſcopo, in Hiberniam ductus, ejus curâ, pueritiam, in ſchola opidi Droghedenſis exegit, ac adoleſcentiam ingreſſus, ad Academiam Dublinienſem miſſus eſt, ubi bonis literis operam navavit aſſiduam. Poſt *Cromwellianarum* tempeſtatum procellas, per *Carolum* 2 regem, ſerenitate redditâ, ex Decano Elphinenſi fit Epiſcopus Limericenſis, conſecratus Dublinii, in eccleſia S. Patricii, 27 Januarii (ſtylo Anglicano) 1660, & menſe Decembri, anno 1663, ad Epiſcopatus Corcagienſem, Clonenſem & Roſſenſem tranſlatus.

DE

DE Epiſcopis CLONENSIBUS.

S. COLMANUS.

Colmanus ille filius *Lenini*, S. *Finbarri* epiſcopi Corcagienſis diſcipulus, vir doctus & pius, primus fuit eccleſiæ Clonenſis Epiſcopus & fundator. Conſtructionis hujus eccleſiæ fit mentio, in vita S. *Brendani* Abbatis Clonfertenſis, his verbis, *Erat hic Colmanus filius Lenini, vitâ atque doctrinâ, inter ſanctos, præcipuus. Ipſe fundavit Eccleſiam Clonenſem, quæ eſt hodiè cathedralis & famoſa in partibus Momoniæ.* Claruit is Seculo VI, & placidè tandem in Domino obdormivit, anno 604, Novembris 4. Ad etymon loci quod attinet, Clona latibulum ſonat. Hæc in antiquó Provinciali Romano, *Cluain-vanian*, ab Hiſtoricis Hibernicis, *Cluainvama* appellata, in agro Corcagienſi ſita eſt, non longè à mari Vergivio. Expoſitionem poſterioris partis dictionis, ſc. *vama*, ſive *vania*, meliùs inſtructis relinquo.

Ante Anglorum tempora, Antiſtitum Clonenſium memoria perexigua ſupereſt.

O-Malvain Epiſcopus Clonenſis obiit 1094.

Nehemias O-Moriertach claruit anno 1140. Meminit illius S. *Bernardus*, in vita S. *Malachiæ*, ſed in codice impreſſo, perperàm appellatur epiſcopus *Duenvaniæ*, pro *Cluanvaniæ*. Obiit circa annum 1149. Author viſionis Tundali, *virum* eum vocat *ſimplicem atque modeſtum, ſapientiâ quoque & caſtitate, præ cæteris fulgentem.*

O-Dubery obiit 1159.

O-Flanagan obiit 1167.

MAT.

MATTHÆUS.

MAtthæus quidam huic ſedi præfuit, tempore adventus Anglorum, ſub *Henrico* noſtro 2, & deceſſit circa annum 1192.

LAURENTIUS O-SULLIVAN.

SUcceſſor ejus, *Laurentius O-Sullivanus*, ex hac vita migravit, Liſmoræ, anno 1204.

DANIEL.

DAniel quidam deceſſit anno 1222. Sed quando fuerit conſecratus nondum reperi.

FLORENTIUS.

FLorentius Archidiaconus Belleghacenſis, epiſcopus Clonenſis electus, regium obtinuit aſſenſum Auguſti 25 1224, ſed 3 inſequentis Februarii, cuſtodiam temporalium illius ſedis commiſſam comperi Mariano Archiepiſcopo Caſſelienſi, neſcio an per *Florentii* mortem, vel quam aliam ob cauſam.

PATRICIUS.

MOnachus quidam Ciſtertienſis, Prior cœnobii B. *Mariæ* virginis de *Fermoy*, aliàs *de Caſtro Dei*, regio aſſenſu, confirmatus eſt 1226, qui (ni fallor) *Patricius* dictus eſt.

DAVID MAC-KELLEY.

DAvid *Mac-Kelley*, Decanus Caſſelienſis, ſucceſſit, & Caſſeliam migravit 1237. De illo fusiùs, inter Caſſelienſes.

ALANUS O-SULLIVAN.

ALanus *O-Sullivan*, ordinis Prædicatorum, conſecratus 1240, poſt octennium, Liſmoram tranſlatus eſt, uti ſuo loco, à me ſuprà dictum eſt.

DANIEL.

FRater *Daniel*, cujus ſocietatis monachus, neſcio, conſecratus 1249, deceſſit anno 1264 incipiente. Homo, propter virtutes,

apud

apud Hiſtoricos celeberrimus. Secundo inſequentis Junii, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Clonenſis impetrárunt, à rege, licentiam eligendi ſucceſſorem.

REGINALDUS.

Reginaldus, ex Archidiacono Dunenſi ad epiſcopatum Dunenſem provectus 1258, huc tranſlatus eſt 1265, & diem clauſit extremum, ſub exitum anni 1273.

ALANUS O-LONERGAN.

SUcceſſor ejus *Alanus O-Lonergan*, aliis *O Clungan*, Minorita, deceſſit 1283, & ante ejuſdem anni exitum, 18 nempe Martii (ſtylo Anglicano) 1283, licentia eligendi ſucceſſorem, ab *Edwardo* I rege, conceſſa eſt.

NICOLAUS de EFFINGHAM.

SUcceſſit illi, anno ſequenti, frater *Nicolaus de Effingham*, Anglus, qui cùm annos pluſquàm 36 ſediſſet, grandævus ex hac vita migravit, anno 1320.

MAURITIUS O-SOLEHAN.

Mauritius O-Solehan, Archidiaconus (ni fallor) Clonenſis obiit 1334, conſecrationis anno 13.

JOHANNES de CUMBA.

Johannes, monachus Ciſtertienſis & Abbas cœnobii de *Cumba*, in agro Warwicenſi, à Papa præfectus, ſucceſſit, & temporalibus reſtitutus eſt, 16 Septembris, aliis 27 Decembris 1335.

JOHANNES BRID.

CIrca hæc tempora, *Johannes Brid*, aliquando Abbas cœnobii de *Louth-park*, apud Lincolnienſes in Anglia epiſcopus fuit Clonenſis.

JOHANNES WHITTOCK.

Johannes Whittock, aliis *Whitcock*, Decanus Clonenſis, ſucceſſor electus temporalibus reſtitutus eſt 18 Septembris 1351. Deceſſit 1361, 7 Februarii. Vacavit deinde ſedes per biennium.

JOHANNES de SWAFHAM.

Johannes de Swafham, cœnobii Linnenſis in agro Norfolcienſi Carmelita, S. Theologiæ Doctor Cantabrigienſis, conſecratus 1363, Bangoram in Wallia tranſlatus eſt, à *Gregorio* 11 Pontifice, 6 Nonas Julii 1376, propter crebra cum Wicleviſtis certamina. Hunc perperam *Nicolaus Harpſfeldius*, in Hiſtoria ſua Wicleffiana, Epiſcopum appellat Menevenſem.

RICHARDUS WYE.

Richardus Wye, Anglus itidem & Carmelita, à jam dicto *Gregorio* 11 proviſus, temporalibus (ut loquimur) reſtitutus eſt Novembris 9 1376. Is ob crimina quædam excommunicatus 1380, in Angliam profugit, annoque tandem 1394, exauthoratus eſt. Sed cùm deprivatione non obſtante, ſe pro epiſcopo gereret, *Richardus* 2 Rex, anno ſequenti, tunc Waterfordiæ agens, comprehendi eum juſſit, & in cuſtodiam tradi, penes *Petrum Hacketum* Archiepiſcopum Caſſelienſem.

GERALDUS CANTON.

Geraldus Cantonus, ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, ejuſdémq; ordinis in Hibernia vicarius generalis, proviſione *Bonifacii* 9 Papæ, epiſcopus renuntiatus Clonenſis, temporalium accepit reſtitutionem, 9 Novembris 1394. Præfuit Maii 14 1407, ſed quàm diù poſteà, non reperi memoratum.

ADAMUS PAY.

Adamus Pay, vel *Pye*, ſucceſſit. Præſulatum Milonis Corcagienſis Epiſcopi, is ſuo conjungere, magno molimine annixus eſt. Qua de re, magna inter eos orta eſt contentio, in Parlamento Dublinii coacto, menſe Aprili, anno 1421. Verùm cauſæ cognitio, ut quæ ad Papam pertinebat, citò dimiſſa eſt. Obiit *Adamus* hic, anno 1430.

JORDANUS.

Jordanus quidam, Cancellarius Limericenſis, vacantibus ſimul eccleſiis Corcagienſi & Clonenſi, ad utrámque eccleſiam *realiter* unitam, à Martino 5 Pontifice proviſus eſt 1430. Sed temporalibus non reſtitutus, ante 25 Septembris 1431. De ſucceſſoribus ejus, vide ſuprà Catalogum Epiſcoporum Corcagienſium & Clonenſium.

GEOR-

GEORGIUS SINGE.

Georgius Singe, natione Anglus, & in Collegio Balliolensi Oxoniæ educatus, ubi octo annos bonarum literarum studio operam navavit, consecratus est, episcopus Clonensis, Droghedæ, 11 Novembris 1638, à *Jacobo Ussherio* Archiepiscopo Armachano, cui omni observantiâ & strictioris amicitiæ vinculis fuit devotus. In Hiberniam cùm veniisset, à *Christophoro Hamptono* tunc Archiepiscopo Armachano, ob perspectas animi virtutes, admodùm humaniter receptus fuit, ejúsque vicarius generalis constitutus. Posteà Decanatus Dromorensis dignitate ornatus, ad hunc Præsulatum promotus est, & in numerum (brevi pòst) cooptatus illorum qui *Carolo* primo Regi ab arcanis consiliis fuerunt in Hibernia. In patriam reversus 1647, morta itatem postea explevit, apud *Bridgnorth* in comitatu Salopiensi, in ipso nimirum opido quo natus est, & ibidem in templo S. *Mariæ Magdalenæ* sepultus est. Vir fuit gravis & admodùm doctus, præsertim in polemicæ Theologiæ & iuris utriúsque scientia, procerioris præterea staturæ, formæ decoræ & generosæ conversationis, pauperibus munificus, benignus omnibus, & constanti hospitalitatis & Philoxeniæ exercitio nemini secundus.

DE

DE Epiſcopis ROSSENSIBUS.

S. FACHNANUS.

Sanctus Fachnanus, vir ſapiens & probus, (ut eum vocat ſcriptor vitæ S.*Mochoëmogi*) claruit ineunte Seculo ſexto. De eo, ejuſque cœnobio & nobili ſchola Roſſenſi, prope mare Vergivium, ita jam dictus ſcriptor vitæ S.Mochoëmogi. *Habitavit S.*Fachnanus *in ſuo Monaſterio quod ipſe fundavit. Ibi crevit civitas, in qua ſemper manſit magnum Studium Scholarium, quæ dicitur Roſſ-ailithri.* S.*Brendanum* ibi artes liberales prælegiſſe aſſerit, quâ authoritate neſcio, in Chronico ſuo Hiberniæ, *Meredithus Hanmerus.* Quando autem Eccleſia cathedralis ibi erecta fuerit, aut quis primus extiterit ejuſdem Epiſcopus, haud certò conſtat. Non poſſum tamen non exiſtimare *Fachnanum* ipſum primum fuiſſe Epiſcopum Roſſenſem, & eccleſiæ illius cathedralis fundatorem. In Martyrologio certè antiquo, ad 14 diem Auguſti, quo die memoria ejus celebratur, Epiſcopum eum diſertè appellatum comperi. Notandum hîc obiter *Ros* viridantem planitiem, vel, ut alii volunt, ericetum ſignificare, & *ailithri*, peregrinationem, quia locus ille olim peregrinationibus frequentabatur. De anno quo obierit S. *Fachnanus*, nihil traditum reperi.

S. FINCHADIUS.

SAnctus *Finchadius*, unus è diſcipulis S.*Barri*, educatus in Schola ejus juxta *Locheircæ*, in auſtrali & maritima Momoniæ parte ſucceſſiſſe perhibetur. De quo præterea nihil habeo quod perſcribam,

ſcribam, neque de ſucceſſoribus ejus, uſque ad Anglorum adventum in Hiberniam.

BENEDICTUS.

Benedictus quidam, huic ſedi præfuit anno Domini 1172, & ſedit poſteà annos plùs minùs 18.

MAURITIUS.

Mauritius qui ſucceſſit, obiit anno 1196.

DANIEL.

Daniel quidam, Presbyter ſecularis, Celeſtini 3 Pontificis juſſu, Romæ conſecratus eſt circa annum 1197, ab Epiſcopo Albanenſi.

FLORENTIUS.

Florentius quidam, neſcio cujus ſocietatis monachus, epiſcopus electus Roſſenſis, Romam itinere ſuſcepto, fraudem *Danielis* Prædeceſſoris (utpote illegitimè electi) *Innocentio* 3 Pontifici expoſuit. In patriam deinde reverſus, à Metropolitano ſuo, conſecrationem obtinuit. De hac re, vid. quæ habentur in Decretalibus *Innocentii* 3. tit. *Cum olim.* Deceſſit *Florentius* anno 1222.

ROBERTUS.

Succeſſit illi *Robertus*, aliis *Richardus.* Vixit epiſcopus anno 1225. Sed quàm diù poſteà non reperi.

FLORENTIUS O-CLOGHENA.

Florentius, aliàs *Finin O-Cloghena* reſignavit 1252.

MAURITIUS.

Mauritius quidam, Præcentor Clonenſis, Roſſenſis epiſcopus electus, Regio confirmatus eſt diplomate 1253. Abdicandi licentiâ, is à Pontifice impetratâ, reſignavit anno 1269, & ſodalitio ſe dedit ordinis Minorum.

WALTERUS O-MICTHIAN.

EOdem anno ſucceſſit illi *Walterus O-Micthian*, Minorita, qui præfuit annos 5. Obiit menſe Decembri 1274.

PETRUS O-HULLECAN.

PEirus *O-Hullecan*, aliàs *O-Halchan*, Monachus Ciſtertienſis conſecratus 1275, ex hac vita migravit 1290.

LAURENTIUS.

ANte exitum ejuſdem anni, *Laurentius* quidam, Canonicus eccleſiæ Roſſenſis ſucceſſor ejus electus eſt. Sedit annos 19, & mortuus anno 1309, in eccleſia ſua cathedrali ſepultus eſt. De antiquis hujus ſedis libertatibus, *Wreccis Maris* ſcil. ſive naufragiis, &c. vide *Inquiſitionem*, in Archivo *curiæ Capitalis Banci*, Dublinii an. 29 *Edwardi* primi Regis, membr. 20, a. in cauſa hujus Laurentii.

MATTHÆUS O-FIN.

LIcentiâ eligendi ſucceſſorem, à Rege *Edwardo* 2, Decano & Capitulo conceſsâ, Martii 8 (ſtylo Anglicano) 1309, epiſcopus electus eſt *Matthæus O-Fin*, Abbas cœnobii neſcio cujus. Deceſſit Octobris 16 1330. Hic poſſeſſiones non paucas, à *Thoma Barreto* & *Philippo de Carew* injuſtè uſurpatatas, recuperavit & ſedi ſuæ reſtituit.

LAURENTIUS O-HOLDECAN.

LAurentius *O-Holdecan*, aliàs *O-Hullucan*, legitimè electus ſucceſſit, à Decano & Capitulo, ſede Caſſelienſi vacante, confirmatus eſt Aprilis ultimo 1331, & cùm huic ſedi præfuiſſet annos non plùs quàm 4, deceſſit 1335.

DIONYSIUS.

ILlum ſequutus eſt *Dionyſius*, conſecratus anno 1336. Quidam *Dionyſius* epiſcopus Roſſenſis obiit 1377. Arbitror hunc fuiſſe.

BERNARDUS O-CONNER.

PRoviſione Pontificiâ ſucceſſit *Bernardus O-Conner*, ex ordine Minorum, qui poſt præſtitum Regi fidelitatis juramentum, regium obtinuit aſſenſum Februarii 3 (ſtylo Anglicano) 1378.

STE-

STEPHANUS BROWN.

Stephanus Brown, Carmelita, à *Bonifacio* 9 Pontifice provisus, temporalibus restitutus est 6 Maii 1402.

MATTHÆUS.

Matthæus quidam, episcopus Rossensis obiit circa annum 1418.

WALTERUS FORMAY.

Walterus Formay, S. Theologiæ Doctor, ex ordine Minorum, provisus est episcopus Rossensis, à *Martino* 5 Pontifice, 18 Calend. Decembris 1418, per obitum *Matthæi*, ut ex Annalibus Minorum, à *Luca Waddingo* editis, intelligimus.

THADDÆUS.

Thaddæus quidam episcopus fuit Rossensis 4 Calend. Januarii 1488, & brevi posteà obiit. Sed quando consecratus non reperi.

ODO.

Odo quidam successit anno 1489, & annos duntaxat 5 præfuit. Mortem obiit 1494.

EDMUNDUS COURCY.

Edmundus Curcæus, sive *Courcy*, ordinis Minorum, S. Theologiæ Professor, à Sixto 4 Pontifice episcopus renuntiatus Clochorensis, 18 Calendas Julii 1484, huc translatus est 6 Calendas Octobris 1494. Obiit grandævus 14 Martii 1518, & in cœnobio sui ordinis de Temolage, apud Corcagienses, sepultus est. Cœnobii illius campanile, dormitorium, nosocomium, & bibliothecam is de novo construi curavit. De illo vide pluras, in Annalibus nostris Hibernicis.

JOHANNES IMURILY.

Johannes Imurily, ineunte ætate monachus Cistertiensis cœnobii de Fonte vivo, in agro Corcagiensi, dein Abbas ejusdem loci successit. Mortem obiit Januarii 9 1519, in habitu fratris *Franciscani*, & in cœnobio de Temolage, de quo suprà diximus, sepultus est.

BO-

BONAVENTURA.

Bonaventura quidam, natione Hiſpanus, ſucceſſor ejus vivit anno 1523 ſed quàm diù poſteà non reperi memoratum.

DERMITIUS MAC-DOMNUIL.

Dermitius Mac-Domnuil epiſcopus fuit Roſſenſis 1544, ſed quando conſecratus, haud comperi. Deceſſit anno 1552. Fortaſsè autem reſignavit ante mortem: nam *Johannem* quendam dictum comperi epiſcopum Roſſenſem, 12 Auguſti 1551.

THOMAS O-HERLIHY.

Thomas O-Herlihy interfuit Concilio Tridentino, anno 1563, una cum Donato Rapotenſi & Eugenio Achadenſi Epiſcopis. Reſignavit 1570. Obiit 1579, in territorio Muſcreyenſi, prope Corcagiam, & Kilereæ, in cœnobio fratrum Minorum de obſervantia, ſepultus eſt.

GULIELMUS LYO.

Gvilielmus Lyon, Arthuri Baronis *Greii de Wilton* Hiberniæ Proregis Sacellanus, conſecratus eſt Epiſcopus Roſſenſis anno 1582, annoque inſequenti Corcagienſis & Clonenſis Commendatarius conſtitutus eſt. Obiit ætate gravis & dierum plenus, Corcagiæ, Octobris 4 1617, & ibidem in eccleſia ſua cathedrali ſepultus eſt. Ædes epiſcopales Roſſæ is reſtauravit, quæ tamen triennio poſteà, ab *O-Donovano* rebelle, combuſtæ fuerunt.

JOHANNES BOYLE.

Johannes Boyle, in Cantio natus, S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, frater *Richardi Boylei* Baronis Youghallæ, poſteà comitis Corcagiæ, ſummi Hiberniæ Quæſtoris, & ad tempus unius è Juſtitiariis ejuſdem regni, conſecratus epiſcopus Corcagienſis, 1618. Roſſenſem etiam Epiſcopatum Commendatarius rexit. Deceſſit 1620, & Youghallæ ſepultus eſt.

RICHARDUS BOYLE.

Richardus Boyle, Decanus Waterfordienſis & Archidiaconus Limericenſis ad epiſcopatus Corcagienſem, Clonenſem & Roſſenſem provectus 1620, Tuamam tranſlatus eſt 1638, & Martii 19 1644, Corcagiæ obiit. De illo plura inter Corcagienſes.

GUI-

GUILIELMUS CHAPPEL.

Vilielmus Chappel, S.Theologiæ Baccalaureus, Cantabrigiæ in Collegio Chriſti educatus, Decanus Caſſelienſis, & Præpoſitus Collegii S.Trinitatis juxta Dublin. conſecratus epiſcopus Corcagienſis & Roſſenſis 11 Octobris 1638, Obiit Derbiæ, in Anglia, 1648.

MICHAEL BOYLE.

Ichael Boyle, S.Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Clonenſis, conſecratus eſt Epiſcopus Corcagienſis, Clonenſis & Roſſenſis, Dublinii, in eccleſia S.*Patricii*, 27 Januarii 1660, & Dublinium tranſlatus menſe Decembri 1663.

EDWARDUS SINGE.

Dwardus Singe, S.Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Elphinenſis, conſecratus epiſcopus Limericenſis, Dublinii, in eccleſia S.*Patricii*, 27 Januarii 1660, ad Epiſcopatus Corcagienſem, Clonenſem & Roſſenſem tranſlatus eſt, menſe Decembri 1663.

DE Epiſcopis LAONENSIBUS.

S. FLANNANUS.

LAonia, vulgò *Killaloa*, ad occidentalem Shenani fl. ripam ſita (prope cataractam, quâ fluvius impeditur, quo minùs ulteriùs navigia, deferat) nomen habet à S. *Molua* Abbate, qui ibi aliquandiù vixit, ſub initium Seculi ſexti. Atqui ejus diſcipulus, S. *Flannanus*, *Theodorici* Regis filius, Romæ, à *Johanne* 4 Pontifice conſecratus, circa annum 639, primus fuit hujus ſedis Epiſcopus. Eo ſedente, pater ejus *Theodoricus* eccleſiam Laonenſem, multis prædiis dotavit, & mortuus tandem annorum plenus, in eadem eccleſia, à *Flannano* filio, ſolenniter ſepultus eſt. Succeſſorum S. *Flannani* ante Anglorum tempora, non reperi (fateor) mentionem, niſi quinque, viz. Carmacani *O-Muilcaſhell*, qui obiit 1019, *O-Gernidider*, qui obiit 1055, *Thaddæi*, vel *Teig O-Teig*, qui obiit 1083. *Thaddæi O-Lonergan*, viri docti & liberalis, qui obiit 1161, & Donati *O-Brien*, qui deceſſit 1165.

CONSTANTINUS O-BRIEN.

Conſtantinus O-Brien, regiâ *O-Brienorum* ortus proſapiâ, inter alios ex Hibernia miſſus Præſules, interfuit Concilio Lateranenſi, 1179. Illo ſedente, *Donaldus O-Brienus* rex Limericenſis hujus eccleſiæ magnus fuit Benefactor.

DER-

DERMITIUS O.CONING.

SUccessit illi *Dermitius O-Coning*, qui anno 1195, quam ob causam non reperi, per *Matthæum O-Heney* Archiepiscopum Cassiliensem, Pontificis Legatum, exauctoratus, paulò posteà mœrore confectus mortem obiit, Corcagiæ, & ibidem sepultus est.

CAROLUS O-HENEY.

D*Ermitio* successor perhibetur *Carolus O-Heney*. De quo præterea, nihil reperi memoratum. Circa hæc tempora, sedes Inisscattiensis & Roscræensis Cathedræ Laonensi adjectæ fuerunt & unitæ.

CORNELIUS O HENEY.

C*Ornelius* (al. *Conogher*) *O-Heney* interfuit Concilio Lateranensi, anno 1215, & in reditu decessit, anno sequenti. Ejus assensu, ad rogatum *Henrici Loundres* Archiepiscopi Dublin. Hiberniæ tunc Justitiarii, *Johannes* rex Angliæ castrum præsidiarium erexit Roscreæ, contra incursiones *Moriertachi Mac-Brien*, qui has partes immaniter depopulatus fuerat. Septembris deinde 5 1216, Custodia Episcopatus Laonensis commissa est à rege Episcopo Fernensi, ut ex prædiis ejusdem se meliùs sustentaret.

ROBERTUS TRAVERS.

R*Obertus Traversius*, Droghedæ natus, episcopus electus, assensu regio confirmatus est Januarii 14, (stylo Anglicano) 1216. Dedit is cœnobio B. *Mariæ de Kenlis* in *Offoria*, insulam de Inchbeg, & cœnobio Glastonienſi in Anglia, 10 dies indulgentiarum. Anno posteà 1221, à *Jacobo*, Honorii 3 Pontificis Pœnitentiario & Hiberniæ Legato, quam ob causam traditum non reperi, deprivatus est. Vixit posteà in Anglia, episcopus, sine episcopatu. Nam episcopatus quatenùs ordo (sicut aliàs dixi) est character indelebilis. In Annalibus cœnobii Teuxburiensis, apud Gloucestrienses in Angliâ, traditum reperi, *Robertum Travers* dictum ibi *episcopum de Kildalo*, *dedicâsse* ibidem *duo majora signa*, *in hyeme* 1224. Per *signa*, intellige campanas. In Annalibus cœnobii Inisfallensis, ad annum 1222, fit mentio obitus *Edmundi* cujusdam, Episcopi Laonensis. Verùm *Edmundus* ille, Limericensis (ni fallor) fuit, non Laonensis episcopus. Sed de hac re, quærant alii.

DO-

DONALDUS O-KENNEDY.

Donaldus, aliis *Donatus O-Kennedy*, Archidiaconus Laonenſis, electus epiſcopus Laonenſis 1231, ſedit annos plùs minùs 21. Obiit 1252, in æſtate, vulgò calidæ æſtatis appellatione notâ, & Limerici, in cœnobio Prædicatorum ſepultus eſt.

ISAACUS O-CORMACAIN.

Isaacus O-Cormacain, Decanus Laonenſis temporalibus ſive prædiis laicis hujus ſedis reſtitutus eſt Aprilis 5 1253. Anno verò 1267, epiſcopatu ſe ſponte abdicavit, & cucullum induit, in cœnobio S. *Crucis*, apud Tipperarienſes.

MATTHÆUS O-HOGAIN.

LIcentiâ eligendi novum Epiſcopum, ab *Henrico* 3 rege conceſsâ, Novembris 10 1267. *Matthæus O-Hogain*, Decanus itidem Laonenſis eligitur Epiſcopus. Permutavit is poſteà anno 1280, cum *Edwardo* Primo rege, ex aſſenſu Decani & Capituli eccleſiæ Laonenſis, Manerium Roſcræenſe, pro manerio de Galroeſton, ſive *tribus carucatis terræ*, (ut ſe habent verba chartæ) *& 84 acris & dimidio in Tenemento Novi Caſtri*, in agro Dublinienſi. Deceſſit menſe Auguſto 1281, & Limerici, in eccleſia Dominicanorum ſepultus eſt, ut ex antiquo loci Kalendario conſtat.

MAURITIUS O-HOGAIN.

ANte finem anni 1281, Præſulatum hunc adeptus eſt *Mauritius O-Hogain*, Præcentor Laonenſis. Sedit annos pluſquàm 16. Obiit 1298, & in eccleſia ſua ſepultus eſt.

DAVID MAC-MAHOUN.

David Mac-Mahoun, Decanus Laonenſis, à Capitulo in Epiſcopum electus, regium obtinuit aſſenſum & temporalibus reſtitutus eſt Aprilis 22 1299, menſe deinde ſequenti à *Stephano* Archiepiſcopo Caſſelienſi conſecratus. Vitam terminavit 1316, cùm præfuiſſet annos 17.

THOMAS O-CORMACAIN.

EOdem anno ſucceſſit (legitimâ electione Decani & Capituli) *Thomas O-Cormacain*, Archidiaconus Laonenſis, qui diem obiit

obiit circa menſem Julium 1321, & in eccleſia cathedrali Laonenſi humatus eſt.

BENEDICTUS O-COSCRY.

Benedictus O-Coſcry, Decanus Laonenſis, electus & conſecratus epiſcopus, 1322, præfuit annos duntaxat 3.

DAVID de IMELACA.

David de Imelaca, (ita dictus à loco ubi natus eſt) aliàs *Mac-Brien*, ſucceſſor ejus, à *Johanne* 22 Pontifice proviſus, 1326, deceſſit 1342, ſecundùm *Galfridum Hogainum*, (in Annalibus ſuis Nenaghtenſibus) *in vigilia Luciæ virginis*, 12 ſcil. Decembris, ſecundùm alios, primo Decembris.

THOMAS O-HOGAIN.

Thomas O-Hogainus, eccleſiæ Laonenſis Canonicus, conſecratus 1343, obiit Octobris 30 1354, & quinto pòſt die, in eccleſia fratrum Minorum de Nenaght ſepultus eſt, ut ex Annalibus Nenaghtenſibus intelligimus.

THOMAS O-CORMACAIN.

Thomas O-Cormacain, Archidiaconus Laonenſis, proviſione Pontificia, hanc ſedem obtinuit, conſecratus 1355, vitâ functus eſt 1387, & in eccleſia ſua, in communi nempe epiſcoporum ſepultura, conditus eſt.

MATTHÆUS Mac-GRAGH.

Matthæus Mac-Cragh, Decanus Laonenſis, à *Nicolao* 4 Papa proviſus, 1389, Temporalium tamen reſtitutionem non accepit, ante 1 Septembris 1391. Præfuit anno Dom. 1400, ſed quàm diù poſteà me latet. Sepultus eſt Limerici, in eccleſia cœnobii Prædicatorum.

ROBERTUS de MULFIELD.

Robertus de Mulfield, Anglus, monachus Ciſtertienſis cœnobii de Melſa, proviſus eſt ab *Alexandro* 5, Septembris 9 1409.

DONATUS Mac-CRAGH.

SUccessor ejus Donatus *Mac-Cragh* permutavit anno 1428, Manerium de Galroeston, in comitatu Dublinienſi, cum *Guilielmo Fyn fitz-Reuher*, pro villa *de Hamonſton*, aliàs *Lisbrecas*, in agro Limericenſi. Anno deinde ſequenti, ex hac vita migravit.

EUGENIUS O-FELAN.

E*Vgenius O-Felan*, admodùm exiguo tempore præfuit, morte (ut videtur) ſublatus 1430.

THADDÆUS Mac-CRAGH.

T*Haddæus Mac-cragh*, à Martino 5 Pontifice proviſus, 1430, Temporalibus reſtitutus eſt à rege *Henrico 6*, Septembris 1 1431.

IREDUS O-LONERGAN.

I*Redus O-Lonergan* ſucceſſiſſe perhibetur, de quo præterea, nihil memoratum reperi.

JACOBUS O-GHONELAN.

J*Acobus O-Ghonelan*, Epiſcopus fuit Laonenſis 1441. De quo etiam præterea, nihil reperi.

TERENTIUS O-BRIEN.

QUI ſucceſſit, proviſione Pontificiâ, *Terentius O-Brien*, à *Brieno O-Brien*, nefariè fuit occiſus anno 1460, apud *Inis-Clonruada*; ut ex Annalibus Ultonienſibus intelligimus.

THADDÆUS.

T*Haddæus* quidam ſucceſſiſſe perhibetur. Sed quando obierit, haud reperi memoratum. Eo verò ab aliis prorsùs omiſſo, hi tres ſucceſſiſſe perhibentur.

JO-

JOHANNES Mac-CRAGH.
MAURITIUS O-CANASA.
DERMITIUS Mac-CRAGH.

DE quibus, præter nuda nomina, nihil habeo quod perſcribam.

MATTHÆUS O-GRIFFA.

Matthæus, al. *Mahunus O Griffa*, mortem obiit anno 1482.

TERENTIUS O-BRIEN 2.

Terentius, ſive *Terlachus*, aliis *Theodoricus O-Brien* ſucceſſit, vir magni inter ſuos nominis, ob liberalitatem & hoſpitalitem, ſed militiæ longè addictior quàm Epiſcopi infulas deceret, deceſſit anno 1525.

RICHARDUS HOGANUS.

Richardus Hoganus, ordinis Minorum, Epiſcopus Laonenſis Clonmacnoiſam tranſlatus eſt à Paulo 3 Pontifice, 16 Junii 1539, ubi exiguo præfuit tempore, morte ſublatus intra paucos dies poſt tranſlationem.

JACOBUS O-CORRIN.

SUcceſſit illi *Jacobus Corrinus*, qui ut ſecum (quod aiunt) habitaret, epiſcopatu ſe abdicavit, anno 1546.

CORNELIUS O-DEA.

EJuranti Corrino ſucceſſor deſignatus eſt ab *Henrico* 8 rege, menſe Julio 1546, *Cornelius O-Dea*, Mauri Comitis Thomoniæ Sacellanus, & brevi poſteà, Regis mandato, à Metropolitano ſuo conſecratus. Sedit annos plùs minùs 9.

TERENTIUS O-BRIEN 3.

Terentius O-Brien, Mariâ regnante, hunc præſulatum adeptus, præfuit uſque ad exitum anni 1566, ſed quàm diù poſteà, non reperi.

MAU-

MAURITIUS O-BRIEN.

Mauritius, al. *Moriertachus O-Brien-Arra*, ab *Elizabetha* Regina, episcopus designatus est Laonensis 1570. Is cùm per sexennium fructus hujus sedis recepisset, episcopus tandem consecratus, præfuit postea annos circiter 36. Decessit Aprilis ultimo 1613, cùm unico ante obitum anno, sponte resignâsset.

JOHANNES RIDER.

Johannes Riderus, Artium Magister, ex Academia Oxonienſi, Parochus Bermondseyensis prope Londinum, deinde Decanus ecclesiæ S. *Patricii* Dublinii & Archidiaconus Midensis, consecratus 12 Januarii 1612, decessit Laoniæ, sive Killaloæ, Novembris 12, 1632, & ibidem in ecclesia cathedrali S. *Flannani* sepultus est.

LUDOVICUS JONES.

Ludovicus Jones, Cambro-Britannus, in comitatu Merionithensi natus, Decanus Casseliensis, consecratus est Casseliæ, Aprilis 23 1633, ab *Archibaldo* Casseliensi Archiepiscopo, *Michaele* Waterfordiensi & *Francisco* Limericensi Episcopis. Mortem obiit Dublinii, 2 Novembris 1646, annos natus 104, & ibidem in ecclesia S. Werburgæ sepultus est.

EDWARDUS PARRY.

Edwardus Parry, natus Nuriæ, in agro Dunensi, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Lismorensis & Thesaurarius ecclesiæ S. Trinitatis Dublinii, consecratus est Dublinii, in eadem ecclesia, 28 Martii 1647, & 20 Julii 1650, Dublinii decessit, ex peste ibidem tunc grassante, ac in ecclesia S. *Audoeni* tumulatus est. Vir fuit acuto juxtà ac probo ingenio præditus.

EDWARDUS WORTH.

Edwardus Worthus, S. Theologiæ Doctor ex Academia Dublinienſi, Decanus Corcagiensis, & in comitatu Corcagiensi natus, consecratus est Dublinii, in ecclesia S. *Patricii*, 27 Januarii, (stylo Anglicano) 1660.

DE

DE Episcopis ARDFERTENSIBUS.

ERTUS.

SEdes hæc Episcopalis sita est in Kerria regione, olim Kerrigia dicta, quæ patria fuit S. *Brendani* Abbatis Clonfertensis, cujus memoriæ Ecclesia Ardfertensis dicata est. Is, ab ineunte ætate, in hac sua patria, bonis litteris, sub *Erto* episcopo operam dedit, donec adultus, impetratâ venîâ, in Conatiam profectus est, ad S. *Jarlathum* Episcopum, sub quo Theologiæ studio naviter ad tempus incubuit. Atque hæc de S. *Brendano*. An verò *Ertus* ille hujus Ecclesiæ fuerit Episcopus, non facilè judicari potest. Fuisse tamen vix est cur non existimemus, donec tempus veritatem in lucem extrahat. Habitatio ejus fixa in Kerria hoc innuere videtur. Et ipsos Episcopos Ardfertenses (ut hoc non omittam) nonnunquàm Kerrienses dictos, tam ex Historicis Hibernicis, quàm ex Archivis publicis didici. *Ardfert* significat locum editum mirabilem, vel ut alii interpretantur, Altitudinem miraculorum. Sed vulgò nunc dicitur *Ardart*.

De Episcopis Ardfertensibus, ante Anglorum ingressum, admodùm pauca traduntur. Hi memorantur in Annalibus cœnobii Inisfallensis, in agro Kerriensi.

Dermitius Mac-Mel-brenan obiit Ardfertæ, 1075.

Magrath O-Erodain al. *O-Ronan* obiit 1099.

Mac-Ronan, dictus episcopus *Kerriensis*, interfuit Synodo Kenannsæ celebratæ, à *Johanne Paparone* Cardinale, anno 1152.

Mel-Brendanus O-Ronan obiit 10 Kalendas Octobris, 1161, sepultus Ardfertæ. Non possum non suspicari *Mac-Ronan* & istum unum eundémque fuisse hominem.

Gilla-mac-Aiblen O-Hanmada obiit 1166.

DONALDUS O-CONARCHY.

Donaldus O Conarchy, dictus episcopus *Jarmuan*, sive occidentalis Momoniæ, decessit 1193.

DAVID O-DUIBDITRIB.

David O-Duibditrib, qui successit, dictus etiam episcopus *Jarmuan*, obiit 1207.

JOHANNES.

Johannes quidam, natione Anglus, professione Benedictinus, consecratus, circa annum (ut videtur) 1215, deprivatus est à *Jacobo*, *Honorii* 3 Pontificis Pœnitentiario, & Hiberniæ Legato, anno 1221. Vixit postea, in cœnobio S. *Albani* in Anglia, usque ad mensem Octobrem 1245, quo ex hac vita migravit. Ad quem annum, ita *Matthæus* Parisiensis, in Historia sua majori, *Eodem quoque anno, 2 Idus Octobris, apud S. Albanum, postquàm Episcopatu privatus, sed dignitate retentâ Hertfertensi, circiter 30 annis, ex mandato Papali, moram continuârat*, Johannes *Episcopus naturæ debita persolvit. Qui cùm vitalem cursum feliciter consummâsset, libros suos, & quædam ecclesiastica ornamenta; necnon & quædam beneficia, non immemor sibi collatorum ab Ecclesia B. Albani beneficiorum, in testamento reliquit. Unde speciale consortium omnium bonorum operum quæ fiunt in ecclesia B. Albani, quasi alter Abbas ipsius ecclesiæ, necnon & sepulturam in eadem ecclesia, ante altare videlicèt S. Amphibali, meruit solenniter obtinere.* Cæterum in Chronico ejusdem *Matthæi*, quod *Agrum sterilem* vocavit, dies obitus *Johannis* hujus refertur ad 5 Idus Octobris 1245. Neque pigebit adjicere quod de illo, in Regesto cœnobii S. *Albani*, fol. 88.b. memoratum reperi. *Johannes episcopus Ardfortensis, præter libros complures utiles, quos huic monasterio contulit, dedit unam petram nobilem aërii coloris, distinctam albis maculis, quæ dicitur vulgariter serpentina, quæ & fertur multum valere lunaticis, cujus forma est ferè quadra, & circumligatur argento, in cujus margine, plures reliquiæ continentur. Dedit etiam tres nobiles annulos, in quorum uno, habetur Saphirus orientalis miræ magnitudinis. In alio, lapis qui dicitur peridotus, sive peridotes, in cujus medio, Saphirus excellentis pulchritudinis collocatur, & habet virtutem spasmum potenter refrænandi. Iste lapis ad modum clypei ferè formatur. In tertio verò annulo, alia saphirus includitur, orientalis, sed minor, quàm prior de qua locuti sumus.* Sic Regestum. Habetur in nobili Bibliotheca *Cottoniana*, sub imagine Neronis, D. vii. Extat

porrò

porrò ibidem, Chronicon *Matthæi* Pariſienſis, *Ager ſterilis* dictum, ſub effigie *Claudii*, D. vi. 2. à nobis ſuprà citatum.

GILBERTUS.

DEprivato *Johanni* ſucceſſit *Gilbertus*, Decanus Ardfertenſis, regio aſſenſu confirmatus Maii 7 1225, & eodem anno conſecratus. Reſignavit 1237.

BRENDANUS.

Brendanus, Præpoſitus Ardfertenſis, Epiſcopus electus regium obtinuit aſſenſum Novembris 17 1237. Sedit hîc loci annos 15.

CHRISTIANUS.

Chriſtianus quidam, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus deſignatus Ardfertenſis, ab *Henrico* 3 rege confirmatus eſt 25 Februarii (ſtylo noſtro) 1252. Sedit exiguo tempore. Nam illius (ut videtur) morte, conceſſa eſt ab eodem rege poteſtas eligendi novum Epiſcopum, Auguſti 20 1256.

PHILIPPUS.

Philippus quidam, ſucceſſor ejus mortem obiit anno 1263.

JOHANNES.

Johannes, Archidiaconus Ardfertenſis ſucceſſit, & temporalibus hujus ſedis reſtitutus eſt, Februarii 27 (ſtylo Anglicano) 1264. Deceſſit menſe Maio 1285, & Ardfertæ, in eccleſia cathedrali S. *Brendani* conditus jacet.

NICOLAUS.

ANte finem ejuſdem anni, ſucceſſit *Nicolaus* quidam, qui exiguo præfuit tempore, obiit enim, ſub medium Martii (ſtylo Anglicano) 1287.

NICOLAUS.

Nicolaus, monachus Ciſtertienſis, dein Abbas cœnobii de Odorney, aliàs Kyrieleyſon, in agro Kerienſi conſecratus 1288, è vivis exceſſit admodùm ſenex, ſub initium anni 1336, cùm huic ſedi præfuiſſet annos plus minùs 48. In Archivis regiis is dictus eſt epiſcopus Kerienſis.

ALA-

ALANUS O-HATHERN.

ALanus O-Hathern, aliàs *Cathern*, consecratus 1336, ultimum diem clausit 2 Decembris 1347. Eo sedente, anno nimirum 1341, *Benedictus* 12 Papa episcopatum hunc contulit. *Edmundo* de Caërmarthen, ordinis Prædicatorum, tanquàm vacantem per obitum *Alani*. Sed *Alani* vita hanc donationem reddidit irritam.

JOHANNES de VALLE.

Johannes de Valle, à *Clemente* 6 Pontifice provisus, Temporalibus sive prædiis laicis restitutus est, Martii 10 (stylo Anglicano) 1348, & decessit 1372, cùm sedisset annos plusquàm 23.

CORNELIUS O-TIGERNACH.

Cornelius O-Tigernach, ordinis Minorum, à *Gregorio* 11 Papa provisus 1372, obiit 1379, consecrationis anno 7.

GUILIELMUS BULL.

Vilielmus Bull, Decanus Corcagiensis, Decretorum Bacalaureus, successit, à Papa itidem provisus, ac post submissionem & agnitam regi fidelitatem, Temporalium accepit restitutionem Februarii 14 1379. De successoribus ejus, per longum temporis intervallum, in Archivis Regiis & Historicis nostris, nullam reperi mentionem.

NICOLAUS.

Nicolaus quidam fuit episcopus Ardfertensis, annis 1420 & 1431. Sed quando aut consecratus fuerit, aut mortem obierit, haud reperi memoratum.

MAURITIUS.

SUccessit illi, provisione Papali, *Mauritius* quidam, qui mortem obiit anno Domini 1462.

JOHANNES STACK.

Johannes Stack, à Pio 2 Pontifice, successor illi provisus est. Cæterùm rejecta est postea ea electio, quòd frustras provisionis expedire, & consecrationis munus suscipere neglexerit. Tunc pro-

provisione Sisti 4, designatus est qui succederet, quidam *Johannes Pigg*, atque eo mox resignante, *Philippus* quidam. Sed cassatâ demùm ejus electione, jam dictus Stackus repetitâ provisione, Episcopus iterum declaratus est. Interfuit is Synodo Provinciali Fetherdæ coactæ, mense Julio 1480, à *Johanne Cantwello* Archiepiscopo Cassiliensi. Obiit 1488, & Ardfertæ sepultus est.

PHILIPPUS.

DEfuncto *Johanni* successor declaratus est, ab *Innocentio* 8 Pontifice, 6 Calendas Novembris 1488, *Philippus* quidam, Presbyter (ut opinor) secularis, de quo suprà mentionem fecimus. Præfuit annos ferè 7. Obiit 1495.

JOHANNES FITZ-GERALD.

QUi successit, *Johannes Fitz-Gerald*, sive *Geraldinus*, Canonicus Ardfertensis, nobili ortus prosapiâ, ab *Alexandro* Sexto Papa provisus est, 12 Calendas Decembris 1495.

JACOBUS FITZ-MORIS.

QUis proximus fuerit *Johannis* successor, non comperi. *Jacobum* filius *Mauritii* fuit episcopus annis 1551 & 1576, sed quando aut consecratus fuerit, aut mortem obierit, non reperi memoratum.

NICOLAUS KENAN.

NIcolaus *Kenan*, ab *Elizabetha* Regina designatus, consecratus est 1588, & post decennium, tumultus bellicos declinans, Limericum se subduxit, ubi brevi posteà (ni fallor) decessit.

JOHANNES CROSBY.

JOhannes *Crosby*, Præbendarius de Disert, consecratus anno 1600, decessit mense Septembri 1621, & in ecclesia sua sepultus est.

JOHANNES STEERE.

JOhannes *Steere*, Anglus, Thesaurarius Ardfertensis & Archidiaconus Imelacensis consecratus episcopus Fenaborensis 1617, hûc translatus est Julii 20 1622. Obiit mense Maio, 1628.

GUILIELMUS STEERE.

Guilielmus Steere, Johannis prædicti frater, Decanus Ardfertensis, à Metropolitano suo consecratus, mense Octobri 1628, decessit Ardfertæ, Januarii 21 1637, & ibidem in ecclesia cathedrali sepultus est.

THOMAS FULWAR.

Thomas Fulwarus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinensi, consecratus 1641, Casseliam translatus est, mense Januario 1660.

EDWARDUS SINGE.

Edwardus Singe, S. Theologiæ Doctor Dublinensis, Decanus Elphinensis, consecratus episcopus Limericensis Dublinii, 27 Januarii 1660, factus etiam Commendatarius episcopus Ardfertensis, ad episcopatus Coreagiensem, Clonensem & Rossensem translatus est 1663.

GUILIELMUS FULLER.

Guilielmus Fullerus, Legum Doctor, ex Academia Oxonienſi, Decanus ecclesiæ S. *Patritii* Dublinii, præter Limericensis sedis administrationem, Ardfertensi etiam ecclesiæ Episcopus præfectus est, consecratus Dublinii 20 Martii 1663.

DE

DE
Epiſcopis
FENABORENSIBUS.

QUando ſedes epiſcopalis Fenaboræ, ſive (ut vulgò appellatur) Kilfenoræ, primùm fuerit conſtituta, aut quis primus fuerit ejuſdem Epiſcopus, nihil (quod ſciam) certi extat. Suſpicetur fortaſſe aliquis, *S. Fachnamm*, cujus memoriæ eccleſia cathedralis dicata eſt, eam primò excitâſſe. Qua de re, quærant alii. Epiſcopatus iſte, ut totius Hiberniæ minimus, ita inter pauperrimos numeratus eſt. De Epiſcopis porrò, quæ dicenda reſtant, tam pauca ſunt, ut confiteamur oportet, catalogum eorum quem nunc exhibemus, valdè mancum eſſe, & imperfectum. Hæc ſedes in Codice Cenſuum Cameralium Centii Camerarii, qui fuit poſteà *Honorius* 3 Pontifex, appellatur *Cellumabrach*.

CHRISTIANUS.

Chriſtianus quidam, obiit 1254, & Limerici in eccleſia cœnobii Prædicatorum ſepultus eſt.

HENRICUS.

Henricus quidam, epiſcopus conſecratus Fenaborenſis, regio aſſenſu confirmatus eſt 12 Februarii (ſtylo Anglicano) 1265. Deceſſit 1273.

FLORENTIUS O-TIGERNACH.

SEptembris 18 1273, *Florentius O-Tigernach*, Abbas cœnobii de Kilſane, aliàs Kilſonna, ordinis Ciſtertienſis, epiſcopus electus, regium obtinuit aſſenſum. Obiit 1281.

CA-

CAROLUS.

Carolus quidam, Decanus Fenaborenſis, in epiſcopum electus confirmatus eſt à rege, 8 Septembris 1281.

CONGALLUS O-LOGHLAN.

Congallus O-Loghlan, in Annalibus cœnobii Loghkæenſis dictus epiſcopus Corcumroenſis, obiit 1300, vir ob integritatem laudatus. Hujus ſedis epiſcopum dictum eſſe olim Corcumrothenſem, notat *Johannes Clinnus* Minorita, in Diviſione Epiſcopatuum Hiberniæ, ad finem Annalium ſuorum Hiberniæ. Fenabora enim ſita eſt in comitatu Clarenſi, olim Tuomonia, in Baronia nempè de Corcumroa, Oceano occidentali pulſata.

SIMON O-CURRIN.

QUi ſucceſſit illi, *Simon O-Currin*, obiit 1303, & Limerici, in eccleſia cœnobii Dominicanorum, ſepultus eſt.

MAURITIUS O-BRIEN.

DEfuncto *Simoni* ſucceſſor deſignatus eſt *Mauritius O-Brien*, Decanus Fenaborenſis, à Rege *Edwardo* primo, confirmatus 8 Octobris 1303. Præfuit annos 18, & in jam dicta eccleſia Dominicanorum Limerici, humatus eſt.

RICHARDUS O-LOGHLAIN.

COnſecratum quendam epiſcopum Fenaborenſem, Waterfordiæ, die Palmarum 1322, tradit in Annalibus ſuis, *Johannes Clinnus*, ſed nomen ejus non exprimit. Fortaſſe fuit *Richardus O-Loghlain*, qui obiit 3 Februarii 1359. Sed de hac re, quærant alii.

PATRICIUS

Patricius quidam, Epiſcopus Fenaborenſis, juramentum fidelitatis, *Richardo* 2 Regi Angliæ præſtitit, 16 Martii (ſtylo Anglicano) 1394, Droghedæ, in cœnobio Prædicatorum. De ſucceſſoribus ejus, in Archivis regiis & Hiſtoricis noſtris, quòd ſciam, altum eſt ſilentium, per plurimos annos poſteà.

DIO-

DIONYSIUS O-CANE.

Dionysius O-Cane, fortè *O-Cahan*, resignavit anno 1491.

MAURITIUS O-BRIEN.

SUccessit pridiè Calend. Januarii, eodem anno, Provisione Pontificia, vel, ut alii volunt, 7 Calend. Septembris anno sequenti, *Mauritius O-Brien*, Canonicus ecclesiæ Laonensis, *nobilis ex utroque parente*. Quidam *Mauritius* episcopus fuit Fenaborensis, anno 1523, nescio an idem cum *Mauritio O-Brieno*.

JOHANNES O-HINALAN.

Johannes O-Hinalanus, episcopus fuit Fenaborensis, 16 Maii 1552. Sed quando consecratus fuerit, aut mortem obierit, nondum comperi. *Johannes* quidam præfuit episcopus, anno 1570, nescio an idem cum *Johanne O-Hinalano*.

DANIEL.

Daniel quidam electus Fenaborensis, subscripsit *Indenturæ Compositionis comitatus Clarensis*, 17 Augusti 1585. Sedes vacabat 2 Decembris 1602, fortè illius morte.

BERNARDUS ADAMS.

Bernardus Adams, consecratus episcopus Limericensis, 1604, unà cum Limericensi, episcopatum etiam Fenaborensem, per dispensationem tenuit, ab anno 1606, ad annum usque 1617, quo resignavit.

JOHANNES STEERE.

REsignanti *Bernardo* successor designatus est *Johannes Steere*, Artium Magister, qui consecratus 1617, Ardfertam translatus est Julii 20 1622.

GUILIELMUS MURRAY.

Guilielmus Murray, S. Theologiæ Doctor, consecratus Episcopus Fenaborensis Dublinii, in ecclesia S. *Patricii*, 18 Decembris 1622, à *Lanceloto* Archiepiscopo Dublinensi, *Jacobo* Midensi & *Rolando* Clonfertensi episcopis, retentis in Commenda ecclesiasticis suis in Anglia beneficiis. Anno deinde 1627, ad episcopa-

tum Landavenſem in Wallia tranſlatus eſt. Ei ſic tranſlato, ſucceſſor in ſede Fenaborenſi, à *Carolo* 1 rege, deſignatus eſt *Richardus Betts*, S.Theologiæ Doctor, qui in Hiberniam veniens, poſtquàm ſedis paupertatem intellexiſſet, electioni de ſe factæ conſentire renuit, & in Angliam reverſus eſt, conſecrationis expers.

JACOBUS HIGATE.

Jacobus Higate, Glaſcoæ in Scotia natus, Archidiaconus Clochorenſis, conſecratus eſt epiſcopus Fenaborenſis, unà cum *Archibaldo Adairo* epiſcopo Alladenſi, Dublinii, in eccleſia S.*Patricii*, Maii 9, 1630, à *Lanceloto* Archiepiſcopo Dublinienſi, *Thoma* Fernenſi & Leghlinenſi & *Roberto* Clonfertenſi Epiſcopis. Obiit ultimo Aprilis 1638, Cluniſæ in agro Monaghanenſi ſepultus.

ROBERTUS SIBTHORP.

Robertus Sibthorpus, Theſaurarius Laonenſis & Præbendarius Maynothenſis, conſecratus Dublinii, epiſcopus Fenaborenſis, in eccleſia S.*Patricii*, 11 Novembris 1638, Limericum tranſlatus eſt 7 Aprilis 1642. Mortem obiit Dublinii, menſe Aprili 1649.

SAMUEL PULLEN.

Samuel Pullen, S.Theologiæ Doctor ex Academia Dublinienſi, Decanus Clonfertenſis, conſecratus Dublinii, in eccleſia S.*Patricii*, Archiepiſcopus Tuamenſis, 27 die Januarii 1660, hunc etiam epiſcopatum, in Commenda conſequutus eſt. De illo vide plura, inter Archiepiſcopos Tuamenſes.

DE

DE Archiepiſcopis TUAMENSIBUS.

S. JARLATHUS.

PRimus Epiſcopus qui Tuamæ (olim dictæ *Tuaim-da-gualand*) ſedem fixit cathedralem, fuit S. *Jarlathus* Logæ filius, qui claruit ſub initium Seculi 6. Quippe qui S. *Brendani* Abbatis Clonfertenſis fuit Præceptor, ut ex ejuſdem *Brendani* vita intelligimus. Vir doctus fuit, & in quo pietas & morum candor cum doctrina certabant. Deceſſit dierum plenus, 26 Decembris, vel, ut alii volunt, 11 Februarii, ſed quo anno, mihi quantumvis diligenter indaganti non conſtat. Extant ſub ejus nomine vaticinia quædam Hibernicè, de ſucceſſoribus ſuis in ſede Tuamenſi, ſed quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium. Oſſa ejus diù poſt obitum, quæſita & inventa, in ſcrinium argenteum tranſlata ſunt, & Tuamæ repoſita in eccleſia ſive capella, quæ inde vulgò dicta eſt *Templene-ſcrin*, id eſt, eccleſia vel Templum Scrinii. Ex ſucceſſoribus ejus ante *Edanum O-Hoiſin*, qui primus Pallio uſus eſt, hi memorantur in Hiſtoricis noſtris, quorum ad nos pervenerunt ſcripta. Sed alii fortaſſe plures poſthac in lucem proferent.

Ferdomnacus obiit 781.

Eugenius Mac-Cleirig dictus epiſcopus Conatiæ, obiit 969.

Murchadus O-Nioc, dictus Comorbanus *Jarlathi* obiit 1033.

Aidus O-Hoiſin obiit 1085.

Ercadus O-Mælomair obiit 1086.

Cormacus O-Cairill deceſſit 1091.

Cataſacus O-Cnail obiit 1117.

Donaldus O-Dubhai obiit Clonfertæ 1136, ſepultus ibidem, die S. *Patricii*.

Man-

Mauritius (al. *Muredacus*) *O-Dubhai* obiit in festo S. *Brendani* anno 1150, ætatis suæ 75, in cœnobio Congensi sepultus, ob prudentiam & liberalitatem celebratus. Eo sedente, *Tirdelvacus O-Conner* Rex Hiberniæ Prioratum S. *Joh.* Baptistæ Tuamæ construxit Canonicis *Augustinianis*. Hos Præsules, Scriptores nostri interdum Conatiæ Episcopos, interdum Archiepiscopos, appellant.

EDANUS O-HOISIN.

DEfuncto *Dubhaio* successit *Edanus O-Hoisin*, cui in Synodo sæpè suprà memorata, à Cardinale Paparone celebrata, anno 1152 concessum est Pallium, & hi 7 suffraganei Episcopatus ei subjecti sunt & assignati, viz. Magionensis, Alladensis, Roscomanensis, Clonfertensis, Achadensis, Cluanensis & Duacensis. E quibus sedes Magionensis adjuncta est posteà cathedræ Tuamensi, sicut quæ in dicta distributione omissa, Enaghdunensis. Porrò Roscomanensis Elphinam posteà translata est, & Cluanensis (sive Clonmacnoisensis) Provinciæ Armachanæ adjecta, post longam ea de re contentionem, Romæ agitatam. *Edanus* hic, anno 1158, Synodum coëgit Roscomani, in qua *multa bona decreta* dicuntur. Naturæ cessit 1161, & in ecclesia sua cathedrali sepultus est, ubi saxo quo tegitur Epitaphium Hibernicè inscriptum legitur, in quo *Jarlathi Comorbanus* sive successor appellatus est. Homo propter pietatem, eruditionem & liberalitatem, apud Historicos nostros celeberrimus. Eodem quo obiit anno, *Rodericus O-Conner* rex Conatiæ castrum lapideum Tuamæ construxit, quod tanquam novum & inusitatum apud Hibernos, *Castri mirifici* nomine, iis temporibus, innotuit.

CATHOLICUS O-DUBHAY.

Catholicus (vel *Cadla*) *O Dubhay* successit, vir gravis, & (ut illa ferebant tempora) eruditus. Illius præsertim operâ & interceſſione, *Rodericus* ille *O-Conner* (de quo suprà) in gratiam *Henrici* secundi Regis Angliæ receptus est, 1175. Hujus concordiæ exemplar (si cui libet perlegere,) apud *Rogerum* de Hoveden habetur, in Historiâ ejusdem anni. Anno posteà 1179, unà cum *Laurentio* Dublinensi, *Constantino* Laonensi, *Brictio* Limericensi, *Augustino* Waterfordiensi, & *Felice* Lismorensi Præsulibus, ad Concilium generale Lateranense missus est. Grandævus is obiit Congæ, in cœnobio Canonicorum *Augustinianorum* anno 1201, cùm ecclesiæ Tuamensi præfuisset annos 40. Sub Pontificatus ejus initium, urbs Tuamensis incendio fortuito conflagravit.

FELIX

FELIX O-RUADAN.

SUccessit *Felix O-Ruadanus*, Monachus Cistertiensis, qui Archiepiscopatui præfuit ad annum usque 1235, quando ejus pertæsus, sponte abdicavit, & reliquum ætatis in cœnobio B. *Mariæ* virginis juxta Dublin. transegit. Ex Archivis turris Londinensis constat *Henricum* 3 regem Angliæ licentiam concessisse Capitulo Tuamensi successorem eligendi, 5 Decembris 1235, *Felicis* cessione priùs ei nuntiatâ per Dionysium *de Tupid* Capituli Procuratorem. Decessit anno 1238, ad quem annum ita Annales jam dicti cœnobii, *Anno* 1238. *Obiit piæ memoriæ, Dom. Felix Tuamensis Archiepiscopus, qui cooperiri fecit ecclesiam cum campanili domus B.* Mariæ *juxta Dublin. plumbo, & sepultus est honorificè, in eadem ecclesia, in presbyterio, ad gradum altaris, in sinistra parte.*

MARIANUS O-LAGHNAN.

QUi successit illi, *Marianus* (sive *Mælmurre*) *O-Laghnan*, Decanus Tuamensis, juris Canonici peritissimus, illicò ut electus Romam properat, confirmationem Pontificiam petiturus. Ibi à *Gregorio* 9 Pontifice probatus Pallium impetravit. Hic peregrinationem, religionis ergô, (nescio an ante infulas susceptas) Hierosolymam usque suscepit. Obiit Athlonæ, paulò ante festum Natalis Dom. 1249. Cœnobio de Knockmoy, al. de Colle victoriæ appropriavit Ecclesiam *de Kilfelge*.

FLORENTIUS Mac-FLIN.

F*Lorentius Mac-Flin*, aliàs *Mac-Floin*, Cancellarius Tuamensis, in Archivis Regiis dictus *Subdiaconus Domini Papæ*, à Capitulo Tuamensi electus Archiepiscopus, assensum regium obtinuit 27 Maii 1250, & Romam posteà profectus, ibi etiam à Pontifice confirmatus est. Reversus Tuamæ consecrationem accepit in ipso festo die Natalis Domini 1250. Anno deinde sequenti, Synodum ibidem cœgit, sed constitutiones tunc promulgatæ nunc non extant. Circa idem tempus, *intravit in Episcopatum Enaghdunensem, sede vacante, & retinuit toto tempore suo, temporalia & spiritualia dicti Episcopatus*, ut è *Rotulo* Placitorum an. 34 *Edw.* 1. liquet. Mortem obiit Bristoliæ in Anglia, anno 1256. Homo ob eruditionem & juris peritiam celebratus. In cœnobio Prædicatorum Athenriæ construxisse fertur *Domum scholarium, & legâsse fratribus optima Decreta.*

WALTERUS de SALERN.

TOtius Capituli conſenſu, *Jacobus O-Laghnan* tunc electus eſt, quem & *Henricus* 3 rex Angliæ diplomate ſuo confirmavit, 16 Octobris 1256. A Papa verò proviſus *Walterus de Salern*, nonnullis etiam Londinenſis cognominatus, Decanus eccleſiæ S. *Pauli* Londinenſis, is demùm à Rege Temporalibus (ut loquimur) reſtitutus eſt, Septembris 2 1257, dum pro Eccleſiæ ſuæ negotiis, in curia Romana moram traheret. Mortem obiit Londini, in reditu à Roma, ſub medium Aprilis 1258. Ad quem annum, *Matthæus* Pariſienſis in Hiſtoria ſua majore, Archiepiſcopum quendam Armachanum Londini obiiſſe aſſerit, *qui quandoque Decanus eccleſiæ S.* Pauli *extiterat.* Atqui in nomine ſedis, error eſt manifeſtus, ſicut ſuprà, in vita *Reinerii* Archiepiſcopi Armachani demonſtravimus.

THOMAS O-CONNOR.

THomas (aliàs *Tomultachus*) *O Connor*, Epiſcopus Elphinenſis, in Archiepiſcopum Tuamenſem electus Romam profectus eſt, ubi à Pontifice confirmatus, Pallio donatus eſt. Temporalibus deinde à Rege reſtitutus Julii 20 1259. Anno deinde 1265, magna exorta eſt lis inter eum & Reimundum Prindergaſtum, quocum dùm contendit, ſervorum aliquot à Prindergaſtianis, Kilmethonæ, (Mannerium fuit Archiepiſcopatus) ſunt interrempti. De cauſa litis nihil traditum reperi. Si conjecturæ ſit venia, dicerem ortam de jure prædiorum quorundam. Huic & ſucceſſoribus, nundinarum jus Tuamæ, conceſſit *Henricus* 3 rex Angliæ, per chartam datam 5 Aug. 1260. Tuamæ deceſſit menſe Junio 1279, cùm huic ſedi ſitibul ac Enaghdunenſi præfuiſſet annos 20, vir, ob eruditionem cæteraſque animi virtutes, eo munere non indignus. Per aliquot deinde annos, ſedes vacavit, Temporalibus toto eo tempore in fiſcum regium redactis, inter quæ memorantur prædia olim ad ſedes Enaghdunenſem & Magionenſem ſpectantia.

STEPHANUS de FULBURN.

POſt ejus obitum, ab una parte Canonicorum Tuamenſium, Archiepiſcopus deſignatus eſt Malachias quidam Minorita Limericenſis, & hanc electionem *Edw.* 1. confirmavit, Aprilis 22 1280, ab altera verò parte, *Nicholaus de Machin* eccleſiæ Tuamenſis Canonicus. Cæterùm à Papa tandem rejecta eſt utráque electio, & 4 Idus Julii 1286, Bullâ Pontificiâ, huc tranſlatus eſt *Stephanus de Fulburn*, ordinis Hoſpitalariorum, Epiſcopus Waterfordienſis, *Fulburne* natus in comitatu Cantabrigienſi, qui 15 inſequentis Septembris,

tembris, Temporalibus reſtitutus eſt, atque tunc unà cum Archiepiſcopatu Tuamenſi, Epiſcopatum inſuper tenuit Enaghdunenſem. De jure verò illius ſedis, magnam habuit poſteà contentionem cum *Johanne de Vfford*, qui epiſcopus Enaghdunenſis electus, regium obtinuerat aſſenſum Martii 16 1282, in qua tamen Uffordus tandem ſuccubuit. Dum adhuc Epiſcopus eſſet Waterfordienſis, anno nempe 1279, conſtitutus eſt Hiberniæ Juſtitiarius, annoque inſequenti Juſtitiariatu ceſſit, ſed illum locum (ejurante *Roberto de Vfford*) denuò ſuſcepit 1282. Ceſſit è vitâ Dublinii, anno 1288, 5 Nonas Julii. Eccleſiæ Glaſtonienſi in Angliâ hic 100 dierum indulgentias conceſſiſſe dicitur.

GULIELMUS de BIRMINGHAM.

SUcceſſit illi *Gulielmus de Birmingham*, Eccleſiæ Admorwienſis Rector, qui à Rege (*Edw.* 1) primùm, deinde à Pontifice (*Nicolao* 4) probatus, Temporalibus reſtitutus eſt à Rege 29 Septembris 1289. Filius is fuit *Milerii de Birmingham*, Athenriæ Dynaſtæ. Ac ſtatim ut conſecratus (ſicut anteceſſores,) Eccleſiam Enaghdunenſem adhuc vacantem, Tuamenſi adjunxit. Illius etiam (ut videtur) conſilio, (ut ex Archivis Regiis conſtat) *Philippus le Blound, Archidiaconus Tuamenſis, Mitram, baculum Paſtoralem, & alia Pontificalia Epiſcopi Enaghdunenſis, repoſita in domo fratrum, apud Clare; quouſque novus Epiſcopus crearetur, abſtulit.* Cæterùm anno 1306, in Epiſcopum Enaghdunenſem (Archiepiſcopo quantumvis invito,) conſecratus eſt *Gilbertus* quidam *Franciſcanus*. Anno tùm 1307, *Birminghamus* in Gallias trajecit, ubi de injuriâ ſibi illatâ, apud Pontificem conqueſtus eſt: ſed irrito labore. Nam *Gilbertus* temporalibus Epiſcopatus Enaghdunenſis reſtitutus eſt, Julii 15 1308. Mortem obiit menſe Januario 1311, (ſtylo Anglicano) conſecrationis anno 22. & Athenriæ, in cœnobio Dominicanorum, prope patrem ſuum Milerum, loci fundatorem, ſepultus eſt.

MALACHIAS mac-ÆDA.

MAlachias *mac-Æda*, Canonicus Elphinenſis, Papali Bullâ, Elphinenſis renuntiatus eſt Epiſcopus, circa annum Domini 1309. Ibi cùm exiguo tempore præfuiſſet, à Canonicis Tuamenſibus electus eſt Archiepiſcopus, & à Papâ probatus, ſub initium anni 1313. Repetiit hic Eccleſiam Enaghdunenſem, & ante obitum, per annos viginti adminiſtravit: poſtquàm nimirum ſedem illam annos (plùs minùs) 20, tenuiſſent *Gilbertus* (de quo ſuprà) & tres ejus ſucceſſores, quorum nomina ſequuntur, viz. *Jacobus O-Kerny*, qui ad Eccleſiam Connerenſem tranſlatus eſt, anno 1325, *Robertus Petit* Minorita, Epiſcopus anteà Clonfertenſis. Is, tempore præfuit perquàm exiguo, ut & ejus ſucceſſor *Thomas O-Maley*, qui Avenione obiit, ſecundùm Annales Loghkæenſes, 1328.

Mala-

Malachias ex hac vita migravit (admodùm senex) *Anno Domini* 1348, *in festo sancti Laurentii martyris*, Tuamæ, in Ecclesiâ Cathedrali beatæ Mariæ tumulatus.

THOMAS O-CARROLL.

POst *Malachiæ* obitum, Canonici Tuamenses elegerunt sibi in Archiepisc. *Robertum de Birmingham* ecclesiæ Tuamensis Cancellarium. Cæterùm rejectâ eâ à Papa electione, ad Archiepiscopatum promotus est *Thomas O-Carollus*, Archidiaconus Cassellensis. Is à Canonicis tam Cluanensibus quàm Ardfertensibus, in Episcopum quandoque postulatus fuerat; sed utrasque electiones de illo factas, vel ipse rejecit, vel Papa irritas pronuntiavit, nam certum est eum nunquàm illis sedibus præfuisse. Verùm anno post mortem *Malachiæ* nondùm exacto, Tuamensi Ecclesiæ (uti diximus) ingeritur à Papâ, Avenione consecratus. Hujus tempore, anno videlicet 1356, quidam *Carolus Oge* (sive Junior.) & filius *Gulielmi de Burgo* Tuamam diripuerunt & incenderunt. Ad Ecclesiam Cassellensem à Papa translatus est 1364, circa solstitium æstivum, ad quam semel antè, canonicè electus dicitur. Hunc, *virum magnæ sufficientiæ & literaturæ* appellat Author Annalium Nenaghtensium.

JOANNES O-GRADA.

POst translationem *Thomæ O-Carroll*, *Joannes O-Grada*, Archidiaconus Cassellensis, illicò Archiepiscopus electus est Tuamensis, eodemque anno consecrationem Avenione impetravit. Hunc, Rex Temporalibus (ut loquimur) restituit, 19 Julii 1365. Sedit annos 6. Mortem obiit Limerici, 19 Septembris 1371, & ibidem sepultus est, ob liberalitatem multùm laudatus.

GREGORIUS.

G*Regorius* quidam Episcopus Elphinensis renuntiatus à Papa, 3. Cal. Martii 1356, hùc translatus est 1372. Parlamentum Tristeldermoti habitum 1377, is cùm summonitus non accesserit, centum libris mulctatus est. Decessit anno 1384. Per mortem ejus, Temporalia Archiepiscopatus (ut in veteri *Escaetoris computo* legitur) *in manus Domini Regis sunt capta, decimo quinto die Decemb. An.* 8. *De quibus tamen Escaetor nihil respondit, quia propter viarum discrimina inter Anglicos & Hibernicos, nemo ausus est dictos redditus colligere.* De *Gregorio* hoc, vide plura inter Elphinenses.

GRE-

GREGORIUS O-MOGHAN.

GRegorius *O-Moghan*, vel *O-Moccan*, in ſciſmate ab Antipapâ *Clemente* 7. Archiepiſcopatum Tuamenſem obtinuit; ſed paulò pòſt, ab *Urbano* 6, exauthoratus, in ejus locum aſcitus ſuffectuſque eſt *Gulielmus O-Cormacain*. *Gregorius*, ille anno 1392, mœrore (ut creditur) confectus interiit: Vir fuit alioqui, ſecundùm Annales Loghkæenſes, valdè ſanctus & devotus.

GULIELMUS O-CORMACAIN.

DEprivato (uti diximus) *Gregorio*, ſubſtitutus eſt *Gulielmus O-Cormacain*, qui *Temporalium cuſtodiam* accepiſſe dicitur Martii 15, anno 10 *Richardi* 2, hoc eſt anno Domini (juxta computationem eccleſiæ Anglicanæ) 1386. A *Gregorio* illo & Mauritio Clonfertenſi epiſcopo, multa is paſſus eſt. Annoq; tandem 1394, à *Bonifacio* 9, ad epiſcopatum Clonfertenſem, invitus tranſlatus eſt. Sed hanc ille permutationem ægerrimè ferens, Bullam tranſlationis accipere neglexit, & dolori impar, in ægritudinem incidit, quâ tandem ſublatus eſt.

CORNELIUS.

COrnelius quidam, ordinis Minorum, à *Johanne* 23 Pontifice proviſus eſt Archiepiſcopus Tuamenſis, 14 Kalendas Octobris 1411. De quo præterea nihil comperi.

JOHANNES BATERLEY.

PRoximus illi ſucceſſit *Johannes* quidam, qui præfuit ad annum uſque 1436, vel circiter. *Johannes* (ut opinor) *Baterleius*, Anglus, S. Theologiæ Doctor & ordinis Prædicatorum. Vir is fuit (ut illa tempora ferebant) doctiſſimus, & ob concionum aſſiduitatem & elegantiam, celebris. Varia (uti ferunt) opera edidit, quæ temporis injuriâ perierunt. In eccleſia hujus cœnobii, ab aquilonari nempe parte ſummi altaris, imaginem vidi Præſulis cujuſdam pallio ornati, monumento parieti indito, inſculptam. Vel hujus fuit *Johannis*, (ut conjicio) vel *Gulielmi de Birmingham*, de quo ſuprà diximus.

THOMAS O-KELLY.

SUcceſſit, proviſione Pontificiâ, anno 1438, *Thomas O-Kelly*, epiſcopus Clonfertenſis, vir (uti habent Annales cœnobii Inſulæ

omnium ſanctorum) tam pietate quàm liberalitate inſignis. Obiit anno 1441, cùm præfuiſſet annos duntaxat 3.

JOHANNES.

Johannes quidam, ſub exitum anni 1441, conſecratus eſt. Sed quando obierit, mihi incompertum. Hunc aliqui (quàm verè neſcio) *Johannem de Burgo* vocant.

DONATUS O-MURRY.

Johanni ſucceſſit, à Papa, circa annum 1458, proviſus, *Donatus O-Murry*, aliàs *Imurrys* Canonicus *Auguſtinianus*. Ad eum Aprilis 24 1461, literas perſcripſit *Joannes Bole*, Archiepiſcopus Armachanus, ſicuti & ad Elphinenſem, Clonfertenſem, Duacenſem, Alladenſem & Achadenſem Epiſcopos, quibus innuit, ſe paulò pòſt, Provinciam Tuamenſem viſitaturum, ſed an viſitaverit, non conſtat. Certè aſſeruntur ſibi Archiepiſcopi Armachani, in cæteris provinciis, viſitationem, quolibet 7 anno. Collegium is inſtituit Guardiani & vicariorum in eccleſia S. *Nicolai Galviæ*. Mortalitatem explevit 15 Calend. Februarii, ut è Necrologio, ſive Libro obituum dicti Collegii conſtat. De anno mortis nihil ibi memoratur. Conjicio autem obiiſſe 1484.

GUILIELMUS SHIOY.

Gvilielmus Shioy, aliis *Joy*, à Pontifice proviſus eſt Archiepiſcopus, 16 Calendas Junii 1485. Annos præfuit 16 & aliquot menſes. Deceſſit 28 Decembris 1501, ut ex jam dicto libro obituum intelligimus.

PHILIPPUS PINSONUS.

Philippus Pinſonus, Anglus, ordinis Minorum, S. Theologiæ Profeſſor, ſuffraganeus *Hadriani de Caſtello* Cardinalis S. *Chryſogoni*, tunc Herefordienſis, poſteà Bathonienſis & Wellenſis in Anglia Epiſcopi, ad Archiepiſcopatum Tuamenſem, Rege *Henrico* 7 rogante, Romæ promotus eſt, Decembris 2 1503, ibique triduo pòſt ex peſte obiit. Vacavit deinde ſedes Tuamenſis 2 annos & 6 menſes.

MAURITIUS de PORTU.

JUnii 26 1506, *Mauritius de Portu*, aliàs *O-Fihely*, ordinis Minorum, vir litteris egregiè excultus, à Julio 2 Pontifice, proviſus eſt Archiepiſcopus Tuamenſis, in comitatu Corcagienſi, prope

prope Baltimoram portum celebrem, natus, educatus autem Patavii, in Italia, ubi S.Theologiæ Doctor evaſit. Sed memoriam ejus nemo meliùs celebravit, quàm *Johannes Camers*, S.Theologiæ & Artium Doctor, ordinis itidem Minorum, in notis ſuis, ad 35 caput *Solini*, quem ut unicè dilexerat & coluerat, ſic ab eo viciſſim redamatus. Interfuit *Mauritius*, anno 1512, duabus primis ſeſſionibus Concilii Lateranenſis: nam invenitur ejus nomen in ſubſcriptionibus Epiſcoporum qui in dictis ſeſſionibus (ut è *Binii* Tomo 9 Conciliorum liquet) fuerunt præſentes, Anno inſequenti, poſtquàm facultatem indulgentias quaſdam concedendi, cuilibet Tuamæ exaudienti primam ejus miſſam, à Papa impetrâſſet, in patriam reverſus eſt. Cæterùm Galviæ, ubi primùm appulit, in morbum incidit lethalem, quo ante miſſæ ſuæ celebrationem, extinctus eſt, vix quinquagenarius, 8 Calendas Junii 1513, ac ibidem in eccleſia fratrum Minorum, tumulo conditus eſt. Vir, ob eruditionem & alias animi virtutes, in tam ſummâ admiratione apud nonnullos, ut ab iis *Flos Mundi* vocaretur. De operibus ab eo editis, vide *Antonii Poſſevini S.J.* Apparatum ſacrum, Coloniæ Agrippinæ editum, anno 1608.

THOMAS O-MULLALY.

DEfuncto *Mauritio de Portu*, ſucceſſor deſignatur *Thomas O-Mullaly* (ſive *Laly*,) qui Synodo præfuit Galvidiæ, anno Domini 1523, cui interfuerunt (ut de Abbatibus, &c. ſileamus) *Matthæus* Duacenſis, & Cormacus Achadenſis Epiſcopi, *Carnelius* Procurator *Georgii* Elphinenſis Epiſcopi, & *Padinus* Procurator *Richardi* Epiſcopi Alladenſis. Ex Provinciâ etiam Armachanâ, *Quintinus* Epiſcopus Cluanenſis, & ex Provinciâ Caſſelienſi, *Mauritius* Fenaborenſis & *Bonaventura* Roſſenſis Epiſcopi. Statuta ibidem ordinata (quod ſciam) perierunt. Obiit *Laleus*, 4 Kal.Maii 1536, *Galvidiæ* in eccleſia Minoritarum, ſub eodem tumulo ſepultus, quo ejus prædeceſſor *Mauritius*.

CHRISTOPHORUS BODEKINE.

CHriſtophorus *Bodekinus*, Epiſcopus Duacenſis conſecratus Maſſiliæ in Gallia, 4 Novembris 1534, & moram Duaci faciens brevem, *Henrici* Octavi gratiâ, ad Tuamenſem Archiepiſcopatum tranſlatus eſt, anno 1536, menſe Februario; retento per diſpenſationem Epiſcopatu Duacenſi. Annoque tandem 1572, Archiepiſcopatus ſui 36, plenus dierum, Tuamæ deceſſit. Cadaver ejus Galviam (ut accepi) delatum, ibi tumulatum eſt.

GUI-

GUILIELMUS LALY.

GVilielmus *Laly*, aliàs *Mullaly*, in comitatu Galvienſi natus, Decanus Tuamenſis, conſecratus Archiepiſcopus Tuamenſis, menſe Aprili 1573, deceſſit 1595.

NEHEMIAS DONELLAN.

NEhemias *Donellanus*, natus eſt in comitatu Galvienſi, educatus autem Cantabrigiæ in Anglia. In patriam reverſus, Lalæi ad tempus fit coadjutor in Epiſcopali officio, ejuſque poſteà, anno ſc. 1595. *Thomæ* comitis Ormoniæ commendatione, ab *Elizabetha* Regina deſignatus, ſucceſſor. Sponte is Præſulatum depoſuit anno 1609, & brevi poſteà ex hac vita migravit, Tuamæ, ac ibidem in eccleſia cathedrali ſepultus eſt.

GULIELMUS DANIEL.

GVlielmus *Daniel*, (vel *O-Donnell*) *Kilkenniæ* natus, S Theol Doctor, unus è primis ſociis collegii S. Trinitatis Dublin. conſecratus eſt Archiepiſcopus Tuamenſis Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, (cujus Theſaurarius fuit) menſe Auguſto 1609, eodemque anno, in Senatum Concilii regii admiſſus. Homo certè doctiſſimus. Librum communium precum ex Anglico, & novum Teſtamentum è Græco in Hibernicum idioma is tranſtuit. Fuit porrò linguæ Hebraicæ peritiſſimus. Deceſſit Tuamæ, 11 Julii 1628, & conditus jacet in eccleſia ſua cathedrali, ſub eodem tumulo, quo prædeceſſor ejus *Donellanus*.

RANULPHUS BARLOW.

RAnulphus *Barlow*, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Cantabrigenſi, eccleſiæ S. *Trinitatis* Dublinii Decanus, & Archidiaconus Midenſis, conſecratus eſt Droghedæ, in eccleſia S. *Petri*, menſe Aprili 1629. Decanatu & Archidiaconatu, per diſpenſationem, ad tempus retentis. Mortem obiit Tuamæ, 22 Februarii (ſtylo Anglicano) 1637, annos natus 66, & ibidem in eccleſia cathedrali B. *Mariæ* ſepultus eſt.

RICHARDUS BOYLE.

RIchardus *Boyle*, Decanus Waterfordienſis & Archidiaconus Limericenſis, frater *Michaelis Boylei* Epiſcopi Waterfordienſis, ad epiſcopatus Corcagienſem, Clonenſem & Roſſenſem (*Jacobi* Regis dono) promotus, conſecratus eſt menſe Novembri 1620,

1620, & huc tranſlatus, Maii 30 1638. Obiit Corcagiæ, 19 Martii (ſtylo Anglicano) 1644, & in eccleſia cathedrali S.*Finbarri* ſepultus eſt. De illo vide plura, inter Corcagienſes.

JOHANNES MAXWELL.

Johannes Maxwellus, Scotus, S.Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Epiſcopus Roſſenſis in Scotia, ad Epiſcopatus Alladenſem & Achadenſem tranſlatus eſt Octobris 12 1640, & poſteà ad Archiepiſcopatum Tuamenſem, 30 Auguſti 1645. Deceſſit Dublinii, 14 Februarii (ſtylo Anglicano) 1646, ob miſerias temporis mœrore confectus, ac ibidem, in eccleſia S.*Trinitatis* ſepultus eſt, impenſis Honoratiſſimi *Jacobi Marchionis* (poſteà Ducis) Ormoniæ. Vir fuit egregiè doctus. Dum epiſcopus eſſet Alladenſis, à rebellibus ex ædibus ſuis epiſcopalibus ejectus eſt, bonis ſpoliatus, vulneratus deinde & aliter injuriosè tractatus.

SAMUEL PULLEN.

Samuel Pullenus, S.Theologiæ Doctor ex Academia Dublinienſi, *Jacobo Marchioni* poſteà Duci *Ormoniæ* Proregi Hiberniæ à Sacris, ortum habuit Ripleyæ in agro Eboracenſi, anno 1598, educatus autem Cantabrigiæ in Aula Penbrochiana, ubi Artium Magiſter creatus eſt. In Hiberniam poſteà accerſitus, factus eſt Cancellarius Caſſelienſis & Decanus Clonfertenſis. Ortâ deinde rebellione, 1641, licèt bonis omnibus Caſſeliæ (ubi tunc vixit) ſpoliatus fuerit, ibi tamen à *Jacobo Saulco* Jeſuita, perquàm humaniter, per ſpatium trium menſium, exceptus eſt, conſervatus & protectus. Inde verò pulſus à Rebellibus, Dublinium primùm ſe recepit, ac poſteà in Angliam rediit, ubi beneficio ac liberalitate Comitis Oxoniæ (cujus Sacellanus domeſticus fuit) adjutus, donec à Sereniſſimo noſtro Rege *Carolo* 2, regnis ſuis feliciter reſtituto, illuſtriſſimi Ducis *Ormoniæ* commendatione, ad hunc Archiepiſcopatum promotus, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S.*Patricii*, 27 Januarii (ſtylo Anglicano) 1660, ac unà cum Tuamenſi Archiepiſcopatu, Fenaborenſem etiam Epiſcopatum *in Commenda* conſecutus.

DE Episcopis ELPHINENSIBUS.

S. Asicus.

ELphina, sive (ut alii scribunt) Elfina, in regione fertili & amœna, aliquantulùm surgente, sita est. Ecclesiam cathedralem ibidem construxit S. *Patricius*, prope amniculum, è duobus fontibus emanantem, circa medium seculi quinti, eique præfecit S. Asicum monachum, magnum pœnitentiæ & austeræ vitæ amatorem, à se Episcopum consecratum, qui paulo posteà monachis eam implevit. Obiit Rath-cungæ, in Tirconallia, ubi & sepultus est. Sunt qui tradant, Asicum hunc aurificem fuisse præstantissimum, artéque suâ, Ecclesiam cathedralem, operis eximii monumentis, ornâsse. Post multas verò annorum centurias, nempe paulò ante Anglorum adventum in Hiberniam, sede Roscomanensi huc translatâ, hæc sedes (Elphinensis inquam) multis magnísque ditata est latifundiis. Quando Ardcarnensis, Drumclivensis & alii minoris notæ episcopatus conjuncti, itidem & uniti fuerint, ignorare me fateor. Verisimile autem est eos ante Anglorum ingressum, annexos fuisse, vel Elphinensi cathedræ, vel Roscomanensi, non inveniuntur certè eorum nomina in Dispositione Episcopatuum Hiberniæ facta anno 1152, jam sæpiùs à nobis suprà memoratâ. Et (quod miror) ipsa sedes Elphinensis in dicta Distributione non nominatur, unde non possum non suspicari, eam aliquandiù ante translationem prædictam, Roscomanensi fuisse etiam adjunctam. Utcúnque, certum est sedem Elphinensem, ex his unionibus, inter opulentissimos totius Hiberniæ Episcopatus, tandem fuisse numeratam, & Ecclesias parochiales, plùs minùs 79, subjectas habuisse. Imperitum vulgus loci nomen factum somniat ab ingenti saxo ibi conspiciendo,

ciendo, quod *Finni mac-Cool* gigantis ſaxum vocant, alii rectiùs interpretantur ſaxum clari vel lucidi fontis. Succeſſorum S. *Aſici*, in ſede Elphinenſi, ante Anglorum ingreſſum non reperi mentionem niſi duorum, viz. *Domnaldi O-Dubhai*, qui fuit porrò epiſcopus Clonmacnoiſenſis, & obiit Clonfertæ 1136, vel 1137, ac *Flannachani O-Dubhai*, qui obiit anno 1168.

MELISA O-CONACTAIN.

MEliſa *O-Conactain*, dictus Epiſcopus orientalis Conatiæ interfuit Concilio Kenanuſæ coacto 1152, ad hanc ſedem poſteà tranſlatus, diem clauſit ultimum 1174.

FLORENTIUS O-MULRONY.

F*Lorentius* (aliis *Florentinus*) *Mac-Riagan O-Mulrony*, Monachus Ciſtertienſis, & Abbas quandóque cœnobii Buellienſis obiit 1195. Refert Colganus originem eum duxiſſe ex Regibus Conatiæ.

ARDGALLUS O-CONNOR.

A*Rdgallus O-Connor*, regiâ *O-Connororum* familiâ ortus, ex hac vita migravit anno 1214, aliis 1215.

DIONYSIUS O-MORDA.

QUi ſucceſſit, *Dionyſius O-Morda*, epiſcopatu ſe abdicavit 1229, & obiit anno 1231.

ALANUS.

DE ſucceſſore ejus *Alano*, præter nudum nomen, nihil traditum reperi.

DONATUS O-CONNOR.

D*Onatus O-Connor*, præfuit annos circiter 12, & mortem obiit anno 1244.

JOHANNES.

DEfuncto Donato, *Johannes* quidam, Archidiaconus Elphinenſis à Decano & Capitulo electus, licentiâ eligendi ab *Henrico* 3 Rege Angliæ impetratâ 12 Junii 1244, aſſenſum regium obtinuit, Septembris 4 1245. Cæterum an conſecratus fuerit necne, non reperi.

COR-

CORNELIUS RUFUS.

IN Annalibus Conatienſibus, traditum reperi *Cornelium Rufum* filium *Comorbæ* S. *Moluæ* factum fuiſſe epiſcopum Elphinenſem anno 1246, & perquàm exiguo tempore ſuperſtitem, morte ſublatum.

THOMAS O-CONNOR.

THomas (al. *Tumultachus*) *O-Connor*, Decanus Achadenſis, conſecratus anno 1246, Tuamam tranſlatus eſt 1259, ubi præfuit annos 20. Dum epiſcopus eſſet Elphinenſis, eccleſiam conſecravit & honori B. *Mariæ* virginis dedicavit in cœnobio Prædicatorum Roſcomanenſi, quod (unà cum eccleſia) tum nuper extruxerat *Felimius O-Connor*.

MILO O-CONNOR.

MIlo (al. *Melaghlinus*,) filius *Thaddæi O Connor*, Archidiaconus Cluanenſis, aliàs Clonmacnoiſenſis, conſecratus Dundalkæ, ab *Abrahamo O-Conellano* Archiepiſcopo Armachano 1260, obiit 1262.

THOMAS MAC-FERALL, MAC-DERMOT.

EOdem anno ſucceſſit *Thomas mac-Ferall, Mac-Dermot*, Abbas cœnobii Buellienſis, bis electus, primùm nempe, in competitione cum Milone, deinde poſt Milonis obitum. Sed exiguo etiam præfuit tempore, nam mortem obiit 1265. Conceſſit is capellæ *B. Mariæ in Templo Londini*, 50 dies Indulgentiarum, & Tumulum B. *Rogeri*, in eccleſia S. *Pauli* Londini, *causâ devotionis*, viſitantibus, 40 alios dies. Eo defuncto, *Odo O-Conner*, (qui Regis Conatiæ titulum ſibi vendicârat) Epiſcopalium prædiorum fructus, per vim uſurpavit, dum ſedes vacaret.

MAURITIUS O-CONNOR.

MAuritius (filius *Neali*) *O-Connor*, ex ordine Prædicatorum, aſſenſu regio confirmatus, Aprilis 23 1266, obiit 1284.

GELASIUS MAC-INLIANAIG.

GElaſius *mac-Inlianaig*, Canonicus ordinis Præmonſtratenſis, & Abbas cœnobii S. Trinitatis Loughkæenſis, Temporalibus reſtitutus 4 Martii (ſtylo Anglicano) 1285. Præfuit annos circiter 11. Deceſſit 1296.

MA-

MALACHIAS Mac-BRIEN.

Malachias Mac-Brien, Abbas cœnobii Buellienſis ſucceſſor eius vitâ functus eſt Romæ, ſub exitum anni 1302.

DONATUS O-FLANAGAN.

Donatus O-Flanagan, Abbas itidem Buellienſis, Malachiæ bis ſucceſſit, tam in Epiſcopatu ſcil. quam antea in cœnobio. Temporalibus reſtitutus eſt 10 Septembris 1303. Obiit 10 Kalend. Julii 1308, longo morbo fatigatus. Sunt qui mortem ejus in annum præcedentem perperàm rejiciant. Vir fuit ob prudentiam, menſam hoſpitalem & alias virtutes celebratus.

CAROLUS Mac-INLIANAIG.

Carolus Mac-Inlianaig O-Conner Abbas cœnobii S. *Trinitatis* de Loghkea, ab una parte Canonicorum eccleſiæ Elphinenſis, in epiſcopum electus, Armachæ conſecratus eſt, anno 1308. Fructus deinde Epiſcopales per aliquot annos recepit; ſed electione demum à Papa rejectâ, Loghkeam redire coactus eſt, ubi provectâ ætate, fatis conceſſit, 1343, & *Malachias Mac-Æda*, qui ab altera parte Canonicorum, *Guilielmi Birminghami* operâ, Archiepiſcopi tunc Tuamenſis, electus fuerat, à Papa Epiſcopus proviſus eſt Elphinenſis, 1309, vel 1310.

MALACHIAS Mac-ÆDA.

Malachias Mac-Æda, Canonicus Elphinenſis, à *Clemente* 5 Pontifice proviſus epiſcopus, Regium obtinuit aſſenſum 7 Decembris 1310. Hinc Tuamam tranſlatus eſt, & præſtito *Edwardo* 2 Regi fidelitatis juramento, Aprilis 1 1313, Temporalibus illius ſedis reſtitutus eſt. De illo inter Tuamenſes fusius.

LAURENTIUS O-LAGHTNAN.

Laurentius O-Laghtnan, Officialis quandóque Tuamenſis, conſecratus 1313, deceſſit 1325.

JOHANNES O-FINDSA.

Johannes O-Findſa, al. *de Roſcoman*, in quâ villa natus eſt, Canonicus eccleſiæ Elphinenſis, à Decano & Capitulo electus, à Metropolitano ſuo *Malachia mac-Æda* conſecratus eſt, 1326. Evivis

excessit 1354, & Elphinæ, in ecclesia cathedrali B. *Mariæ* virginis sepultus est.

GREGORIUS.

Gregorius quidam, Præpositus Alladensis, ad Episcopatum Dunensem, tanquàm vacantem per mortem episcopi illius sedis, consecratus est, Avenione, per *Petrum* Cardinalem Prænestinum. Sed vita *Richardi* Episcopi Dunensis hanc donationem irritam reddidit. Tumque igitur ab *Innocentio* 6 Pontifice, Episcopus renuntiatus est Elphinensis, 3 nempe Calendas Martii 1356, vel 1357, si initium anni deducas à Calendis Januarii. Hinc deinde ad Archiepiscopatum Tuamensem translatus est 1372, ubi præfuit annos 12.

THOMAS BARRET.

Thomas Barretus, Archidiaconus Enaghdunensis, consecratus 1372, obiit Deriæ; ineunte vere 1404, & ibidem sepultus est, cùm sedisset annos 32, virtutibus suis nobilitatus.

JOHANNES O-GRADA.

Johannes O-Grada, qui successit, anno 1405, obiit 1417, consecrationis anno 12.

ROBERTUS FOSTEN.

Robertus Fosten, ordinis Minorum, S. Theologiæ Doctor, à Martino 5 Pontifice, provisus est, 14 Calendas Maias 1418, ut è *Lucæ Waddingi* Annalibus intelligimus. Sed an Eliphinam unquam viderit, aut quando obierit, nondum comperi.

CORNELIUS.

Cornelius quidam, Episcopus Elphinensis, cœnobium extruxit Minoritis Elphinæ, circa annum 1450, in loco ubi priùs fuit ecclesia parochialis S. *Patricii*.

NICOLAUS.

Successor ejus *Nicolaus* quidam, mense Septembri 1494, *propter valetudinariam senectutem & oculorum caliginem*, se tanto oneri imparem sentiens, episcopatum sponte resignavit, reservatâ sibi, quam diù viveret, annuâ pensione 50 marcarum, ex episcopatu pendendâ. Resignationis Instrumentum habetur in Regesto Octaviani Archiepiscopi Armachani, fol. 45. b. in cujus fine, *Nicolaus Papam*

Papam rogat, ut ad episcopatum Elphinensem sic resignatum transferatur *Georgius Dromorensis* Episcopus. Constat tamen è Regestis illorum temporum, *Georgium* eum à Pontifice, ad episcopatum Elphinensem non fuisse translatum, usque ad 15 Kalendas Maias 1499, per cessionem jam dicti *Nicolai*: cùm interim *Cornelius* quidam, ad tempus, pro episcopo Elphinensi se gessisset, & post mortem ejus, *Richardus mac-Brien*, ordinis Prædicatorum.

GEORGIUS BRANNUS.

Georgius quidam, natione Græcus, patriâ Atheniensis, cognomento (ni fallor) *Brannus*, episcopus Dromorensis, provisione Pontificiâ, per cessionem (uti diximus) *Nicolai*, huc translatus est, 15 Kalendas Maias 1499. Procurator is fuit & Moderator *Indulgentiarum Hospitali S. Spiritûs in Saxia* (sive in vico Saxonum) *de Urbe, & Benefactoribus ejusdem indultarum, necnon ad construendum novum Hospitale S. Spiritus, membrum videlicèt supradicti Hospitalis, in Hibernia.* Indulgentias eas, dum episcopus esset Dromorensis, confirmatas comperi, in Synodo Droghedæ habita, in ecclesia S. *Petri*, ab *Octaviano de Palatio* Archiepiscopo Armachano, mense Julio, 1495. Vixit posteà anno 1523. Quando autem obierit, non comperi.

JOHANNES.

Johannes quidam, ordinis Præmonstratensium, præfuisse perhibetur, (quàm verè nescio) anno 1535, atque unà cum Episcopatu, in commenda tenuisse cœnobium *de Welbeck*, ejusdem ordinis, apud Nottinghamienses in Anglia.

CONATIUS O-SIAGAL.

Conatius O-Siagal, Abbas cœnobii de Assadara, & Magni (sive Magonii) *O-Donelli* sacellanus, ab *Henrico* 8 Rege, episcopus designatus est Elphinensis, anno 1544.

BERNARDUS O-HIGGIN.

Bernardus O-Higin, Dominicanus à Papa provisus successit. Vixit 1552, sed quàm diù posteà vitam produxerit, nondum reperi.

ROLANDUS de BURGO.

Rolandus de Burgo, Episcopus Clonfertensis, hujus etiam episcopatus administrationem susscepit, *Edwardi* Sexti Regis concessione, Aprilis 10 1552. Obiit grandævus, 1580.

THO-

THOMAS CHESTER.

THomas *Cheſter*, ſucceſſor ejus, in civitate Londinenſi natus, obiit apud *Killiethan*, anno 1584, menſe Junio.

JOHANNES LYNCH.

JOhannes (filius *Jacobi*) *Lynch*, Galviæ natus, *Elizabethæ* Reginæ dono, hunc præſulatum obtinuit 1584, & ſponte reſignavit, 19 Auguſti 1611. Sepultus jacet Galviæ, in eccleſia S. *Nicolai*.

EDWARDUS KING.

EDwardus *King*, patriâ Huntingdonienſis, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, conſecratus menſe Decembri 1611, ſedit annos 27, & menſes 3. Mortem obiit 8 Martii (ſtylo Anglicano) 1638, & in eccleſia ſua cathedrali, quam ſuis ſumptibus reſtauraverat, ſepultus eſt. Caſtrum & ædes aliquot adjacentes, is ſibi ſucceſſoribúſque, Elphinæ conſtruxit, & prædio à ſe pretio comparato dotavit. Epiſcopatum porrò, quem pauperrimum invenit, recuperatis prædiis, ad eum olim pertinentibus, inter opulentiſſimos totius Hiberniæ numeratum reliquit.

HENRICUS TILSONUS.

HEnricus *Tilſonus*, patriâ Eboracenſis, in Collegio Univerſitatis, Oxoniæ educatus, *Thomæ* Comitis *Straffordiæ* Proregis Hiberniæ Sacellanus, & Decanus eccleſiæ cathedralis S. *Trinitatis* Dublinii, conſecratus eſt Dublinii, in eadem eccleſia, Septembris 23 1639. Obiit apud *Southill-hall*, in comitatu Eboracenſi, (quò, ortâ rebellione, ſe contulerat) 31 Martii, 1655, ætatis ſuæ 80, & in cancello eccleſiæ parochialis *de Dewsbury*, ſepultus eſt. Vacavit deinde ſedes, per fœdam tyrannidis tempeſtatem, uſque ad tempus reſtaurationis Sereniſſimi Regis noſtri *Caroli* 2, prædiis Epiſcopatus, toto eo intervallo, pro more peſſimo, à novatoribus uſitato, diſtractis.

JOHANNES PARKER.

IOhannes *Parkerus*, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Dublinii natus, ac ibidem Præbendarius eccleſiæ S. *Michaëlis*, *Jacobo Marchioni*, poſteà Duci Ormoniæ, Proregi Hiberniæ à Sacris, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, 27 Januarii (ſtylo Anglicano) 1660. Is anno 1649, ſub *Cromwelliana* tyrannide, proventibus omnibus eccleſiaſticis privatus, ac in carcerem

rem conjectus est, ob suspicionem, quòd Marchionis *Ormoniæ* tunc Dublinium, ad debitam regi obedientiam reducere annitentis explorator esset. Post menses deinde aliquot, in carcere detentus, Marchionis operâ, per modum permutationis captivorum libertati restitutus, constanter ei adhæsit, dum in Hibernia maneret, sed Marchione in Galliam reverso, in Angliam se subduxit, ubi temporum incommoditates constanter pertulit, donec redditâ tandem pace toties exoptatâ, à *Carolo* 2 Rege, solio paterno postliminio restituto, ad episcopatum Elphinensem promotus est, ubi tam ecclesiæ cathedralis, quàm ædium Episcopalium reparationi incubuit.

Uun DE

DE Episcopis CLONFERTENSIBUS.

MOENA, al. MONENNIUS.

SAnctus *Brendanus*, Finlogæ filius, S. *Brendani* Birrensis æqualis & studiorum comes, cœnobium Clonfertæ constructit, prope Shenanum fluvium, anno Dom. 558, cui ipse præfuit Abbas, & in quo sepultus est, cùm annos vixisset 93. Obiit Enaghdunæ, die Dominico, 16 Maii, anno 577, unde corpus Clonfertam delatum, ibi sepulturæ (uti dixímus) traditum est. Extat vita ejus, *metris restitutis* descripta, in Bibliotheca nobili *Cottoniana*, Westmonasterii, sub imagine *Vespasiani*, D. IX. 1. Ejus tempore, ecclesia cathedralis Clonfertensis (ob 7 ejus altaria olim celebris) primùm constituta est. Obitum primi (qui ibi præfuit) episcopi, in Annalibus Ultonienſibus, ad annum 571, ita annotatum invenimus: *Mæna Episcopus Clonfert-Brenain quievit*, superstite sc. adhuc *Brendano*. Dies mortis ejus ad 1 Martii refertur. Ad Clonfertæ etymologiam quod attinet, Latibulum mirabile significat. De *Mænæ* successoribus, ad Anglorum usque ingressum, sub *Henrico* nostro 2, admodùm pauca supersunt.

Fintanus Corach, floruit sub finem Seculi 6.

Cuminus, cognomento *Foda*, i. *Longus*, obiit 12 Novembris anno 662.

Kulmel, dictus *Princeps* & Episcopus Clonfertensis, obiit 825.

Cormacus Mac-Ædain, obiit anno 921.

Gilla Mac-Aiblen, obiit 1166.

PE-

PETRUS O-MORDAI.

PEtrus O-Mordai, dictus episcopus *de Omaine*, à regiuncula nimirum, in qua Clonferta sita est, Monachus Cistertiensis, & primus Abbas cœnobii Buelliensis, dum conventus ille habitaret apud *Grelachdinach*, submersus est in Shenano fluvio, 6 Calendas Januarii 1171, vir virtutibus celeberrimus.

MÆLISA MAC-AWARD.

MÆlisa Mac-Award, qui successit, exiguo tempore præfuit, Mortem obiit anno 1173.

MALCALLANNUS.

Malcallannus, filius *Adami*, Nepos Clericeni, episcopus Clonfertensis decessit anno 1186. Vid. *Colgani* Acta Sanctorum Hiberniæ, ad 21 Januarii, pag. 153, num. 2. *Donaldus* quidam *O-Find*, (dictus *Comorba Clonfert-Brenain*) obiit 1195. Nescio an Abbas fuerit vel Episcopus Clonfertensis.

O-CORMACAIN.

IN Annalibus cœnobii Inisfallensis, fit mentio cujusdam *O-Cormacain* episcopi, qui Clonfertæ obiit 1204. Ibi verò, cujus sedis fuerit Episcopus, non exprimitur. Non possum igitur pro certo affirmare, donec dies clariora doceat, eum huic ecclesiæ præfuisse episcopum.

THOMAS.

THomas, quidam episcopus Clonfertensis decessit 1248. Maii deinde 27, 1249, *Henricus* 3 rex Angliæ diplomate suo, concessit licentiam eligendi successorem.

CORMACUS O-LUMLIN.

Cormacus (aliis *Carolus*) *O-Lumlin*, ob eruditionem & mores probatissimos celebratus, obiit grandævus, circa solstitium æstivum 1259.

THOMAS O-KELLEY.

QUi successit *Thomas O-Kelley*, decessit die Dominico proximo post Epiphaniam Domini (stylo Anglicano) 1263, & Athen-

riæ,

riæ, in eccleſia cœnobii Dominicanorum, (cui multa contulit) ſepultus eſt.

JOHANNES.

POſt triennii fermè vacationem, *Johannes quidam*, Italus, Nuntius Pontificius ſucceſſit, Athenriæ conſecratus, die Dominico ante feſtum Natalis Domini 1266, ac Romam anno ſequenti profectus eſt. Præfuit poſt reditum, annos plurimos, annóque tandem 1296, ad Archiepiſcopatum Beneventanum in Italia tranſlatus eſt. Inter primarios eccleſiæ ſuæ Clonfertenſis Benefactores is numeratur. Ac fortaſsè ſpecioſum illud frontiſpicium ad occaſum eccleſiæ, multis ſtatuis operis egregii exornatum ab eo conſtructum eſt.

ROBERTUS.

ROBERTUS quidam, Monachus eccleſiæ Chriſti Cantuariæ, à *Clemente* 4 Pontifice proviſus, ſucceſſit, & Temporalibus reſtitutus eſt 24 Septembris 1296. Sedit annos 11. Obiit 1307.

GREGORIUS O-BROGY.

LIcentiâ eligendi ab *Edwardo* 2 Rege impetratâ, 7 Decembris 1307, totius Capituli conſenſu electus eſt, in feſto S. *Georgii* proximo ſequenti, *Gregorius O-Brogy*, Eccleſiæ cathedralis Decanus. Sedit is annos itidem 11. Deceſſit 1319.

ROBERTUS le PETIT.

SUcceſſit illi *Robertus le Petit*, ordinis Minorum, à Decano & Capitulo electus, Februarii 10 1319, ſed poſt biennium depoſitus. Epiſcopus tandem Enaghdunenſis à Papa proviſus eſt 6 *Idus Novembris* 1325, ut è *Lucæ Waddingi* Annalibus liquet, & temporalibus illius ſedis à rege *Edwardo* 2 reſtitutus, 22 Junii 1326.

JOHANNES O-LEAN.

DEpoſito *Roberto le Petit*, à Papa proviſus ſucceſsit in ſede Clonfertenſi, *Johannes O-Lean*, Archidiaconus Tuamenſis. Juramentum fidelitatis *Edwardo* 2 regi præſtitit Octobris 29 1322, & 25 inſequentis Decembris, temporalibus reſtitutus eſt. Obiit 7 Idus Aprilis 1336, cùm præfuiſſet annos pluſquàm 13.

THO-

THOMAS O-KELLEY.

THomas *Kellæus*, sive *O-Kelley*, Presbyter secularis, fuit episcopus 14 Octobris 1347. Sed quando aut consecratus fuerit, aut mortem obierit, haud comperi. Quidam *O-Kelley* episcopus Clonfertensis obiit 1377, nescio an idem, vel alius à jam dicto *Thoma Kellæo*. Quærant id quibus est otium.

MAURITIUS O-KELLEY.

Mauritius, al. *Moriertachus* (filius *Philippi*) *O-Kelley*, Presbyter itidem secularis, consecratus 1378, ad Archiepiscopatum Tuamensem, à *Bonifacio* 9 Pontifice, translatus est anno 1394. De quo, vid. plura inter Tuamenses Archiepiscopos.

DAVID CORRE.

EOdem tempore, Papa *Gulielmum O-Cormacain* Archiepiscopum Tuamensem Clonfertam transtulit, sed cùm Archiepiscopus, permutationem eam ægerrimè ferens, Bullam translationis *debito tempore expedire negligeret*. Præsulatu exactus est, ut *Waddingi* Annalibus Minorum liquet, & Papa tunc Episcopatum Clonfertensem cuidam *Davidi Corre* Minoritæ contulit, 13 Calendas Aprilis 1398.

THOMAS O-KELLEY.

THomas *O-Kelley* ecclesiam parochialem de Clonkeen, aliàs Clonken-Kerill, in cœnobium erexit Franciscanorum, tertii nempe ordinis de pœnitentia, *ad instantiam Davidis & Johannis Imull-kerill, illius ordinis professorum.* Tuamam migravit 1438. *Thomas* quidam episcopus fuit Clonfertensis anno 1415. *Thomam* eum & istum conjicio unum eundemque fuisse hominem.

JOHANNES HEYN.

KEllæo successit in hac sede, *Johannes Heynus*, ordinis Minorum, & ejusdem ordinis Minister Provincialis in Hibernia, ab Eugenio 4 Pontifice provisus 14 Calendas Augusti 1438, ut in Tomo 5 Annalium Minorum, docet *Lucas Waddingus*. Sedit annos circiter 4.

THOMAS de BURGO.

Thomas hic *de Burgo*, Capituli sui consensu, concessit fratribus tertii ordinis S. Dominici, capellam B. *Mariæ* de Kilcarbain, ad rogatum *Johannis fitz-Rery* & confratrum dicti ordinis. *Eugenius* 4 confirmavit hanc donationem, 4 Idus Martii 1444. Obiit *Thomas* 1446, Athenriæ, inter Dominicanos, sepultus.

CORNELIUS O-MULLEDY.

DEfuncto *Thoma*, *Johannes With*, ordinis Minorum, olim ejusdem ordinis in Hibernia Minister, ad hanc sedem electus est. Illo verò brevi postea vel resignante, vel electioni de se factæ consentire renuente, *Cornelius O-Mulledy*, Minorita itidem, à *Nicolao* 5 Pontifice, provisus est Episcopus Clonfertensis, 11 Calendas Junii 1447, annóque sequenti, 17 Calendas Maii, provisione itidem Pontificiâ, Imelacam migravit.

CORNELIUS O-CUNLIS.

Cornelius O-Cunlis, aliis *O-Ruculis*, ordinis itidem Minorum, Episcopus Imelacensis, provisione Pontificiâ, huc translatus est 1448. Vixit postea Romæ 1469, & ni fallor ante obitum resignavit.

MATTHÆUS MACRAIH.

Matthæus Macraih, episcopus fuit Clonfertensis anno 1482, & mortem obiit Kilboughtæ anno 1507, sepultus Kilcomaingæ, vir ob plusimas animi virtutes celebratus.

DAVID de BURGO.

David de Burgo, Presbyter secularis successit, à Julio 2 Pontifice provisus, 5 Julii 1508. Obiit anno sequenti.

DIONYSIUS.

DEfuncto *David*, *Dionysius* quidam, ordinis Minorum, ab eodem Julio provisus est, 7 Novembris 1509. Vixit postea 14 Junii anno 1518, sed quando obierit nondum compertum.

RICHARDUS NANGLE.

Richardus Nangle, sive de Angulo, ordinis Eremitarum S. *Augustini*, & ejusdem ordinis in Hibernia Provincialis, S. Theologiæ

logiæ Doctor, ab *Henrico* 8 Rege, ad hunc Præſulatum evectus, conſecratus eſt 1536. Multa is paſſus eſt à *Rolando de Burgo*, quem anno 1534, *Clemens* 7 Papa, proviſione, epiſcopum deſignârat Clonfertenſem.

ROLANDUS de BURGO.

Rolandus (filius *Reimundi*) *de Burgo*, Decanus Clonfertenſis, à *Clemente* 7, (uti diximus) proviſus Epiſcopus, poſt ſubmiſſionem & agnitam *Henrico* 8 Regi fidelitatem, neſcio an poſt Nanglei mortem, Regium obtinuit aſſenſum, Octobris 24 1541, Decanatu per diſpenſationem retento. Epiſcopatum porrò Elphinenſem, Aprilis 10 1552, *Edwardi* 6 regis dono, obtinuit. Deceſſit ſenectute gravis, menſe Junio 1580.

STEPHANUS KEROVAN.

Stephanus Kerovanus, Galviæ natus, Archidiaconus Enaghdunenſis, partim Oxoniæ, partim Lutetiæ educatus, à Regina *Elizabetha* deſignatus epiſcopus Duacenſis, conſecratus 1573, Clonfertam tranſlatus eſt 1582, Maii 24. Obiit (hi fallor) anno 1602.

ROLANDUS LINCH.

Rolandus Linch, Galvienſis itidem, & Archidiaconus Clonfertenſis, conſecratus eſt Epiſcopus Duacenſis 1587, hanc etiam eccleſiam rexit Commendatarius, à 20 Octobris 1602. Deceſſit apud *Longbreogh*, menſe Decembri 1625.

ROBERTUS DAWSON.

Robertus Dawſonus, *Henrici* Vicecomitis Falklandiæ Hiberniæ Proregis Sacellanus, Decanus Dunenſis, S. Theologiæ Baccalaureus, ſocius olim Collegii S. *Johannis* Cantabrigiæ, conſecratus eſt epiſcopus Clonfertenſis & Duacenſis, in ſacello arcis Dublinienſis, Maii 4 1627, à *Lanceloto* Archiepiſcopo Dublinienſi, *Thoma* Fernenſi & *Jona* Oſſorienſi Epiſcopis. Mortem obiit Kendalæ in Weſtmorlandia, anno 1643, in eo ipſo nimirum opido, quo natus eſt. Palatium Epiſcopale Clonfertæ, is egregiè refecit & reſtituit, vel potiùs novum condidit.

GUILIELMUS BAYLY.

Gvilielmus Bayly, Scotus, Glaſconienſis Academiæ alumnus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Oxonienſi, conſecratus eſt Epiſco-

Episcopus Clonfertensis & Duacensis Oxoniæ, Maii 1644, à *Jacobo* Archiepiscopo Armachano, *Johanne* Alladensi & Achadensi, & *Henrico* Dunensi & Connorensi episcopis. Obiit Clonfertæ, 11 Augusti 1664, apoplexiâ correptus, & in ecclesia cathedrali ibidem sepultus est.

EDWARDUS WOLLEY.

EDwardus *Wolley*, S. Theologiæ Doctor, Salopiæ natus in Comitatu Salopiensi, in cujus opidi schola regia, prima litterarum rudimenta percepit, donec adolescens ad Academiam se contulit Cantabrigiensem, ubi in Collegio S. *Johannis*, bonarum litterarum studio incubuit, & Artium Magister creatus est, deinde in utráque Academia, Cantabrigiensi (inquam) & Oxoniensi, S. Theologiæ Doctor. Fuit porrò à *Carolo* 1 Rege, in Sacellanum domesticum ascitus, quemadmodùm & postea à *Carolo* 2, quibus etiam in adversis constanter adhæsit, interim novatorum factionibus, tam domi quàm foris, multa perpessus, donec *Carolus* 2 feliciter restitutus, regnis etiam suis serenitatem restituit. Tunc Rectoriâ quadam donatus est à Rege, in comitatu Essexiensi, ut Phanaticos & alios novatores, *Marshalli* veneno infectos, reduceret, ac postea Episcopus Clonfertensis & Duacensis designatus, consecrationis ritibus inauguratus est Tuamæ, 16 Aprilis 1665. Ecclesiæ Cathedralis Clonfertensis reparationem is jam molitur.

DE Episcopis ALLADENSIBUS.

S. MUREDACHUS.

SAnctus *Muredachus*, filius *Eochadii*, primus fuit hujus sedis Episcopus. Consecratus is fuit à S. *Patricio*, unde eum claruisse constat seculo quinto. Natalis ejus celebratur 12 Augusti. De tempore vero obitus ejus, nihil traditum repe-ri. Killala sita est prope *Muadum* al. *Moium* flu-vium in agro Maionensi, & ejus sedis Episcopi, ab ea parte agri quâ cingitur, ab Historicis nostris nonnunquam appellabantur Episcopi de *Tir-Amalgaid*. Successorum S. *Muredachi* memoria, ante Anglorum ingressum perexigua supersest. Non reperi (fateor) mentionem Episcopi cujusquam Alladensis, toto eo tempore, nisi unius, dicti *O-Mælfogamair*, qui obiit anno 1151.

IMARUS O-RUADIN.

I*Marus O-Ruadin*, dictus episcopus de *O-Fiacra* decessit an. 1177.

DONATUS.

AD Donati hujus rogatum, *Innocentius* 3 Papa, 3 Kalendas Aprilis 1198, confirmavit antiquas hujus sedis possessiones, quorum catalogum, vide, si placet, in editis ejusdem *Innocentii* Decretalibus Epistolis.

CORMACUS O-TARPAID.

SUcceſſor ejus, *Cormacus O-Tarpaid* obiit 1226.

O MAILFAGAMAIR.

QUidam *O-Mailfagamair*, cujus nomen proprium non editur, obiit 1234. In Annalibus Conatienſibus dictus eſt Epiſcopus de *Oſiacra-mui*. Quis ei proximus ſucceſſerit, non comperi. Sedem vacâſſe conſtat 22 Junii 1253, quo die, ab *Henrico* 3 rege, licentia eligendi epiſcopum Alladenſem conceſſa eſt, ut ex Archivis regiis, quæ in arce Londinenſi aſſervantur, liquet.

O-LAIDIG.

O-*Laidig*, epiſcopus Alladenſis, defunctus eſt 1275.

JOHANNES O-LAIDIG.

FRater *Johannes O-Laidig*, aliàs *O-Loyn*, obiit menſe Octobri 1280.

DONATUS O-FLACHERTACH.

QUi ſucceſſit illi *Donatus O-Flachertach*, legitimè electus aſſenſum Regium obtinuit, Aprilis 16, 1281. Is Dublinium profecturus, in via incidit in ægritudinem, quâ Dunboynæ abſumptus eſt, in quadrageſima anni 1305 deſinentis, unde cadaver Molingaram deportatum, ibidem in cœnobio Canonicorum B. *Mariæ* ſepultum eſt. Vir fuit ob plurimas virtutes celebratus.

JOHANNES TANKARD.

LIcentiâ eligendi ab *Edwardo* Primo rege Angliæ impetratâ, Maii 24 1306, à Decano & Capitulo, ſucceſſor electus eſt, Junii inſequentis 13, *Johannes Tankardus*, Archidiaconus Alladenſis, qui à Birminghamo Archiepiſcopo Tuamenſi confirmatus eſt, 28 die ejuſdem menſis.

JOHANNES O-LAITIN.

J*ohannes O-Laitin* obiit 1343. Vacavit deinde ſedes Alladenſis per annos fermè 3.

GUI-

GUILIELMUS.

G*Vilielmus* quidam, ſucceſſor ejus, poſt agnitam Regi fidelitatem, temporalibus reſtitutus eſt 25 Martii 1347. Præfuit annos plùs minùs 3.

ROBERTUS.

SUcceſſit illi *Robertus* quidam, Waterfordiæ natus, de quo præterea nihil traditum reperi.

THOMAS ORWELL.

T*Homas Orwellus*, aliàs *Horetvell*, ordinis Minorum, à *Bonifacio* 9 Pontifice proviſus Epiſcopus Alladenſis, pridiè Calendas Februarii, 1389, hinc ad aliam neſcio quam ſedem tranſlatus eſt, anno 1400.

THOMAS.

T*Homas* quidam, Archidiaconus Alladenſis, à jam dicto *Bonifacio* 9 proviſus, Temporalibus reſtitutus eſt 12 Martii (ſtylo Anglicano) 1400, *Henrici* 4 regis Angliæ diplomate, commiſſo *Thomæ de Burgo* equiti aurato, *Juſtitiario ſuo in partibus Conatiæ*. Quamdiù ſederit, aut quis ei proximus ſucceſſerit, adhuc neſcio.

JOHANNES.

QUi primus jam occurrit poſt *Thomam*, Alladenſis eccleſiæ Epiſcopus, eſt *Johannes* quidam, qui reſignavit circa annum 1490.

THOMAS.

T*Homas* quidam, Epiſcopus Alladenſis, interfuit Synodo Provinciali Tuamæ celebratæ 1493. Mortem obiit 1497.

THOMAS CLERK.

SUcceſſit proviſione Pontificia, 3 Junii 1498, *Thomas Clercus*, Archidiaconus Sodorenſis. Reſignavit poſteà 1505.

MALACHIAS O-CLOWAN.

M*Alachias O-Clowan*, aliàs *O-Cluan* ſucceſſit, à Julio 2 Pontifice proviſus 12 Februarii 1505, conſecratus autem 3 Septembris

bris 1508, in ecclesia parcchiali de Termon-feichan, ab Octaviano Archiepiscopo Armachano, *Jacobo* Derensi & *Eugenio* Clochorensi episcopis. Quam ob causam, tam diù post provisionem, consecratione caruerit, aut quando obierit, haud reperi memoratum.

RICHARDUS

Richardus quidam Episcopus fuit Alladensis, anno 1523, quo tempore interfuit Concilio Provinciali Galviæ celebrato. Quando autem consecratus fuerit, aut mortem obierit, aut quis ei proximus successerit, minimè habeo compertum.

EUGENIUS O-CONNER.

Eugenius O-Conner, Decanus Achadensis, ab *Elizabetha* Regina, Alladensis designatus Episcopus, consecratus est 1591. Sedit annos 16, vel circiter.

MILLERUS MAGRAGH.

POst *Eugenii* obitum, *Milerus Magragh*, Archiepiscopus Casseliensis hanc ecclesiam simul ac Achadensem annos fermè 15 tenuit Commendatarius.

ARCHIBALDUS HAMILTON.

Archibaldus Hamiltonus, Scotus, S. Theologiæ Doctor Glascoensis, consecratus episcopus Alladensis, Droghedæ, in ecclesia S. *Petri*, Junii 29 1623, accepto etiam, *Jacobi* regis dono, Achadensi episcopatu, quem commendatarius rexit. Aprilis deinde 20 1630, ad Archiepiscopatum Casseliensem translatus est. Obiit Stockholmæ in Suedia, 1659, fermè octogenarius.

ARCHIBALDUS ADAIR.

Archibaldus Adair, Scotus, Decanus Rapotensis, consecratus est episcopus Alladensis & Achadensis, unà cum *Jacobo Higato* episcopo Fenaborensi, Dublinii, in ecclesia S. *Patricii*, 9 Maii 1630, & Maii 18 1640, depositus in eadem ecclesia, ob verba seditiosa. Julii tamen 13 1641, Præsulatum Waterfordiensem & Lismorensem, *Caroli* 1 regis gratiâ, depositionis sententiâ non obstante, consequutus est.

JO-

JOHANNES MAXWELL.

Johannes Maxwellus, Scotus itidem, Academiæ Andreapolitanæ alumnus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, epiſcopus Roſſenſis in Scotia, *Caroli* 1 Regis deſignatione, ad Epiſcopatus Alladenſem & Achadenſem tranſlatus 12 Octobris 1640, & poſteà, ad Tuamenſem Archiepiſcopatum 30 Auguſti 1645, vir gravis & eruditus. Juris etiam Regiæ poteſtatis aſſertor. Qua de re extat, contra novatorum calumnias, Tractatus ejus, cui titulus eſt, *Sacro-ſancta Regum Majeſtas*.

HENRICUS HALL.

Henricus Hall, in comitatu Oxonienſi natus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, *Jacobo Marchioni* (poſteà Duci) Ormoniæ, & Hiberniæ Proregi à ſacris, conſecratus eſt Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, Epiſcopus Alladenſis & Achadenſis 27 Januarii 1660. Exceſſit è vivis Killalæ, 23 Julii 1663, in æde ſuâ Epiſcopali, quam ille tum nuper reſtauraverat, & in eccleſia cathedrali Alladenſi humatus eſt.

THOMAS BAYLY.

Thomas Bayly, Anglus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Dublinienſi, Decanus Dunenſis, conſecratus eſt epiſcopus Alladenſis & Achadenſis, Tuamæ, in eccleſia cathedrali, à *Samuele* Archiepiſcopo Tuamenſi, *Guilielmo* Clonfertenſi & *Johanne* Elphinenſi Epiſcopis, in ipſo feſto S. *Trinitatis*, (5 nempe Junii) 1664.

DE Episcopis ACHADENSIBUS.

S. NATHIUS, al. CRUIMTHIR-NATHY.

Ecclesiam Achadensem vulgò dictam *Achonry*, aliàs *Achad Conair*, constructit S. *Finianus*, episcopus Clonardensis, circa annum Salutis 530, locum concedente Dynastâ regionis Luignensis. Ecclesiam ita constructam S. *Finianus* mox contulit *Nathio* discipulo suo, qui binomius fuit, dictus vulgò Comrahus, al. *Cruimthir*, vir magnæ sanctitatis. Hunc scriptor vitæ S. *Finiani* Presbyterum solùm appellat, sed Descriptor vitæ S. Fechini *Antistitem* vocat *Achad-chonrensem*. Abbatem opinor intelligit, nam locum posteà appellat Monasterium de *Achad-Conair*. Ego autem non possum non suspicari eum postea factum fuisse Ecclesiæ hujus Achadensis episcopum. Sed de hac re, quærant alii. Natalis ejus celebratur 9 Augusti, illiúsque memoriæ dicata est hæc ecclesia. In Annalibus antiquis Hibernicis, Præsules hujus sedis appellantur plerúnque, à Centuria in qua sita est, Episcopi Luignienses, sive Leinienses.

MÆLRUANUS O-RUADAN.

QUi proximus occurrit Achadensis ecclesiæ Episcopus, est *Mælruanus O-Ruadanus*. Obiit is anno 1170, cùm sedisset annos plusquàm 18. Nam interfuit Synodo sub Paparone Cardinale, celebratæ anno 1152. Vir prudens fuit, & magni inter suos nominis.

GILLANANEM O-RUADAN.

Gillananem (aliis *Gelasium*) *O-Ruadanus*, ex hac vita migravit anno Dom. 1214.

CLE-

CLEMENS O-SINADAIG.

SUccessit illi *Clemens O-Sinadaig*, qui mortuus est anno Dom. 1219, consecrationis 5.

CARUS O-TARPA.

Carus O-Tarpa, Abbas cœnobii Mellifontis, deinde episcopus Achadensis obiit 17 Kalendas Februarii 1226, in dicto cœnobio, & ibidem sepultus est.

GELISA O-CLERY.

Gelisa O-Clery, qui successit, in Annalibus Conatiensibus dictus episcopus Luignensis, obiit 1230.

THOMAS O-RUADAN.

SUccessor ejus *Thomas O-Ruadan* decessit anno 1237, & in ecclesia sua cathedrali sepultus est.

ÆNGUS O-CLUMAN.

Ængus, aliis *Elias O-Cluman*, consecratus 1238, sponte resignavit, sub exitum anni 1250, vel initium insequentis, & in Monasterio Buellensi, (ubi monasticam amplexus est vitam) decessit 1263, senio fractus ac debilitatus.

THOMAS O-MIACHAN.

Thomas O-Miachan, successor electus, assensum Regium obtinuit, 20 Junii 1251, & circa initium anni 1265, ex hac vita migravit.

DIONYSIUS O-MIACHAN.

Dionysius O-Miachan, Archidiaconus Achadensis, ad hanc sedem electus, successit 1266, & eodem anno, 12 nempe Calendas Junias, dedit *Capellæ B. Mariæ in Templo, Londini*, 40 dies Indulgentiarum, *in festo Dedicationis*. Præfuit annos 19. Decessit mense Novembri 1285, & in ecclesia sua sepultus est.

BENEDICTUS.

Benedictus quidam electus Achadensis, Temporalibus restitutus est 17 Septembris 1286.

HEN-

HENRICUS MAC-OREGHTY.

HEnricus *Mac Oreghty*, Monachus Ciſtertienſis qui ſucceſſit, mortem obiit anno 1297.

BENEDICTUS O-BRAGAN.

B*Benedictus O-Bragan*, al. *O-Brogan*, fortaſſe idem cum *Benedicto*, de quo ſuprà diximus, obiit ſub exitum anni 1315, & primo inſequentis Maii, conceſſa eſt ab *Edwardo* 2 rege, licentia eligendi ſucceſſorem.

DAVID de KILHENY.

DEfuncto *Benedicto*, electus eſt in ſucceſſorem, anno 1319, *David de Kilheny*. De quo præterea nihil comperi.

MURCHARDUS O-HARA.

M*Vrchardus* (filius *Mælmoi*) *O-Hara*, Abbas aliquando Buelliensis obiit 1344.

DAVID.

D*Avid* quidam episcopus Achadensis obiit 1348, alii perperam 1344.

NICOLAUS O HEDRAM.

N*Icolaus O-Hedram*, Monachus Ciſtertienſis cœnobii Aſhroenſis, aliàs de Samario, à *Clemente* Sexto Pontifice proviſus, poſt mortem *Davidis*, Temporalibus ab *Edwardo* 3 Rege reſtitutus eſt 19 Martii (ſtylo Anglicano) 1348. Sedit annos circiter 25, Obiit 1373.

GUILIELMUS ANDREW.

DEfuncto *Nicolao*, *Guilielmus Andrew*, Anglus, ex ordine Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, à *Gregorio* 11 Papa proviſus epiſcopus Achadenſis, temporalium illius ſedis reſtitutionem accepit, 1 Auguſti 1374, & poſt ſexennium, ad epiſcopatum Midenſem tranſlatus eſt. Ibi cum ſediſſet, annos 5, ex hac vita migravit, in vigilia S. *Michaëlis* Archangeli 1385. Vir fuit prudens & eruditus, *Socratis* tamen exemplo, nulla publicare voluit ſcripta, cùm multa expectarentur.

THAD-

THADDÆUS.

DE ſucceſſoribus *Guilielmi Andreæ*, in ſede Achadenſi, ante *Thaddæum*, nihil comperi. *Thaddæus* hic obiit circa annum 1448.

CORNELIUS.

IN *Caſparis Jongelini* Purpura S. *Bernardi*, traditum reperi *Cornelium* Abbatem Bue lienſem factum fuiſſe epiſcopum Achadenſem, per obitum *Thadæi*, Idibus Octobris, anno 3 *Nicolai* 5 Papæ, id eſt, anno Dom. 1449.

JACOBUS.

Jacobus quidam, epiſcopus Achadenſis, à *Nicolao* 5 Pontifice, ad epiſcopatum Pangienſem in Wallia tranſlatus eſt, 1453, & obiit menſe Septembri 1464.

CORNELIUS.

Cornelius tum quidam, proximus ſucceſſor nominatur, qui mortem obiit 1472.

ROBERTUS WELLYS.

Robertus Wellys, Minorita, à Siſto 4 Pontifice proviſus eſt, pridiè Id. Julii 1472, per obitum *Cornelii*, ut ex Tomo 6 Annalium *Lucæ Waddingi* diſcimus. De illo, præterea, nihil comperi.

BERNARDUS.

Bernardus quidam, epiſcopus Achadenſis deceſſit anno 1488 vel 1489.

JOHANNES de BUCLAMANT.

DEfuncto *Bernardo*, *Johannes de Buclamant*, vel *Buſtamant*, Hiſpanus, Præceptor domus S. *Catharinæ* Toletanæ, ordinis B. *Mariæ* de mercede Captivorum, ab *Innocentio* 8 Pontifice, proviſus eſt Epiſcopus Achadenſis, 9 Kalend. Octobris 1489. Sed (quantùm auguror) ſedem Achadenſem nunquam vidit.

RICHARDUS.

Richardus quidam ſucceſſiſſe perhibetur, & parvo tempore ſuperſtitem, obiiſſe 1492.

THOMAS FORT.

Thomas Fort, Artium Magiſter, Canonicus cœnobii S. *Mariæ* Sanctique *Petroci Bodminæ*, ordinis S. *Auguſtini*, Exonienſis diœceſis in Anglia, proviſione Pontificiâ ſucceſſit, 3 Idus Octobris 1492. De tempore mortis ejus, nihil habeo certi.

CORMACUS.

Cormacus quidam fuit Epiſcopus Achadenſis, 1523. Sed quandò aut conſecratus fuerit, aut mortem obierit haud comperi.

EUGENIUS.

Eugenius quidam, Epiſcopus fuit Achadenſis 1585. An idem fuerit, cum *Eugenio O-Hairt*, aliquando Priore cœnobii Prædicatorum Sligoenſis, qui interfuit Concilio Tridentino, anno 1563, & obiit centenarius 1603, in eccleſia Achadenſi ſepultus, ad cornu Euangelii altaris majoris, quærant quibus eſt otium.

MILERUS MAGRAGH.

Milerus Magragh, Archiepiſcopus Caſſelienſis, menſe Februario (ſtylo Anglicano) 1607, Epiſcopatus Alladenſem & Achadenſem, *Jacobi* regis conceſſione, conſequutus eſt, quos ad mortem uſque retinuit. De illo fuſius, inter Caſſelienſes Archiepiſcopos.

ARCHIBALDUS HAMILTON.

Archibaldus Hamiltonus, Scotus, S. Theologiæ Doctor, conſecratus epiſcopus Alladenſis, Junii 29 1623, accepto etiam in Commenda, Epiſcopatu Achadenſi. Aprilis deinde 20 1630, Caſſeliam tranſlatus eſt. Deceſſit grandævus, *Stockholmæ* in Suedia, 1659.

ARCHIBALDUS ADAIR.

Archibaldus Adairus, Scotus, Decanus Rapotenſis, conſecratus eſt Epiſcopus Alladenſis & Achadenſis, Dublinii, in eccleſia S. *Patricii*, 9 Maii 1630, & Maii 18 1640, in eadem eccleſia depoſitus,

situs, ob verba quædam seditiosa. Julii tamen 13 1641, Præsulatum Waterfordiensem & Lismorensem, *Caroli* 1 regis gratiâ, depositionis sententiâ non obstante, consequutus est. Obiit Britonia in Anglia, circa annum 1647.

JOHANNES MAXWELL.

Johannes Maxwellus, Scotus, S. Theologiæ Doctor, ab Episcopatu Rossensi in Scotia, ad Episcopatus Alladensem & Achadensem translatus est 12 Octobris 1640, ac posteà ad Archiepiscopatum Tuamensem, 30 Augusti 1645. De illo, apud Tuamenses plura.

HENRICUS HALL.

Henricus Hall, Anglus S. Theologiæ Doctor Dublinensis, consecratus episcopus Alladensis & Achadensis, Dublinii in ecclesia S. *Patricii*, 27 Januarii 1660, mortem obiit 23 Julii 1663, in ecclesia cathedrali Alladensi sepultus.

THOMAS BAYLY.

Thomas Bayly, Anglus, S. Theologiæ Doctor ex Academia Dublinensi, consecratus est Episcopus Alladensis & Achadensis, Tuamæ, 5 Junii 1664. Hic sub tyrannide *Cromwelliana*, proventibus suis ecclesiasticis privatus, habitationis loca subinde coactus est mutare, ac demum in Hibernia, ex institutione puerorum ei commissorum, victum sibi suisque honestum comparavit. Defuncto autem *Hallo*, *Caroli* 2 regis designatione, ad episcopatus Alladensem & Achadensem promotus est.

DE

DE Episcopis DUACENSIBUS.

S. COLMANUS.

COmmentarium hunc claudunt Episcopi Duacensis Ecclesiæ, quæ originem suam debet S. *Colmano* filio *Duaci*. Nobilissimâ is ortus est familiâ *Hyfiachriorum*, in Conatia, creatus demùm Episcopus, sedem fixit in loco qui ab ejus cognomine, *Kil mac-duach*, sive ecclesia filii *Duaci*, appellatur, sed corruptè vulgò *Kil-macough*. Hæc ecclesia à Guario tum rege Conatiæ, ejúsque successoribus, multis prædiis ditata est. Claruit S. *Colmanus*, sub finem Seculi Sexti, vel initium insequentis. Natalis ejus celebratur 3 Februarii. Quo verò anno obierit, non habeo compertum. De eo, vide plura, apud Colganum, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad diem 3 Februarii. Successorum ejus mentionem, per multas posteà annorum centurias, non reperi, nisi unius, dicti Indrecti, qui obiit anno 814.

RUGNADUS Mac GILLA-CELLAIG O-RUADAN.

RUgnadus *O-Ruadanus*, filius *Gilla-cellaigi*, mortem obiit anno Dom. 1178. Quis proximus ei successerit, haud comperi.

ODO.

ODo quidam, Præcentor Duacensis, in episcopum Duacensem electus, ab *Henrico* 3 rege Angliæ confirmatus est Maii 12 1227, ut ex Archivis regiis, quæ in arce Londinensi asservantur, constat.

GE-

GELASIUS Mac-SCELAGI.

GElasius *Mac-Scelagi* decessit 1249.

MAURITIUS ILEYAN.

M*Auritius Ileyan* obiit 1283, & Athenriæ in cœnobio Prædicatorum sepultus est. Martii deinde 27 1284, concessa est à rege *Edwardo* Primo, potestas eligendi successorem.

DAVID O-SEDAGHAN.

D*Avid O-Sedaghan*, tum proximus successor nominatur. Temporalibus restitutus est 13 Julii 1284. Obiit anno 1290, & in jam dicto cœnobio Prædicatorum sepultus est.

LAURENTIUS O-LAGHNAN.

SUccessit illi *Laurentius O-Laghnan*, Monachus Cistertiensis, Abbas primùm de Samario, aliàs *Asbro*, posteà de Buellio, & demùm de Knockmoy, aliàs de Colle Victoriæ, vitâ functus est, sub initium anni 1306, & 1 insequentis Martii, Decanus & Capitulum assensum regium obtinuerunt novum eligendi Episcopum.

LUCAS.

L*Ucas* quidam, successor ejus mortem obiit anno 1325, consecrationis suæ 18.

JOHANNES.

J*Ohannes*, Decanus Duacensis, in episcopum illius ecclesiæ à Capitulo electus, Temporalibus restitutus est Maii 14 1326, eodémque anno, à *Malachia mac-Æda*, sive filio *Hugonis*, Archiepiscopo Tuamensi consecrationem obtinuit. Quando obierit, non reperi memoratum.

NICOLAUS.

N*Icolaus* quidam, consecratus 1360, sedit ad annum usque 1371, sed quàm diù posteà, non reperi.

GREGORIUS ILEYAN.

Gregorius Ileyan obiit 1395, & Roſcomani, in cœnobio Prædicatorum, ſepultus eſt. Sacramentum fidelitatis *Richardo* 2 regi Angliæ is præſtitit, Droghedæ, 16 Martii (ſtylo Anglicano) 1394.

NICOLAUS ILEYAN.

Nicolaus Ileyan, ordinis (ni fallor) Prædicatorum, ſucceſſit, & anno 1399, ex hac vita migravit, ſepultus Athenriæ, in cœnobio ejuſdem ordinis.

JOHANNES ICOMAID.

Succeſſor ejus *Johannes Icomaid*, Athenriæ, in dicto cœnobio Prædicatorum humatus eſt. In Regeſto illius cœnobii, tempus obitus ejus refertur ad annum 1401.

JOHANNES.

IN *Jongelini* Purpurâ S. *Bernardi*, traditum reperi *Johannem* Abbatem cœnobii de *Petra fertili* (aliàs de Corcumroa) à *Martino* 5 Papa, proviſum fuiſſe epiſcopum Duacenſem, 10 Calendas Novembris 1418. Quàm diù ſederit, aut quis fuerit proximus ejus ſucceſſor, nondum comperi.

CORNELIUS.

Cornelius quidam epiſcopus fuit Duacenſis anno 1493, & reſignavit anno 1502.

MATTHÆUS.

Matthæus, Archidiaconus Laonenſis ſucceſſit, proviſione Pontificiâ deſignatus 8 Martii 1503. Sedit poſteà anno 1523, quando autem obierit, haud comperi.

CHRISTOPHORUS BODEKIN.

Chriſtophorus Bodekinus conſecratus eſt epiſcopus Duacenſis, Maſſiliæ in Gallia, 4 Novembris 1533, à *Gabriele* Archiepiſcopo Dyrachienſi, aſſiſtentibus *Hieronymo Aburtino* & *Marco Antonio Tiburtino* Epiſcopis. Februarii deinde 15 1536, *Henrici* 8 regis gratiâ, Archiepiſcopatum obtinuit Tuamenſem, retento per diſpenſationem epiſcopatu Duacenſi. Obiit decrepitâ ætate ſenex, 1572.

STE-

STEPHANUS KEROVAN.

Stephanus Kerovanus, Archidiaconus Enaghdunensis, Oxoniæ partim, partim Lutetiæ educatus, ab *Elizabetha* Regina constitutus episcopus Duacensis, consecratus est Dublinii, 1573, & Clonfertam translatus 24 Maii 1582. Vacavit deinde sedes Duacensis per quinquennium. Obiit *Kerovanus*, circa ann. 1602.

ROLANDUS LINCH.

Rolandus Linchæus, Archidiaconus Clonfertensis, consecratus est episcopus Duacensis, mense Augusto 1587, & Clonfertensem episcopatum, per dispensationem, à 20 Octobris 1602, administravit. Mortem obiit apud *Logh-reogh*, in agro Galviensi, mense Decembri 1625.

ROBERTUS DAWSON.

Robertus Dawsonus, patriâ Westmorlandiensis, S. Theologiæ Baccalaureus ex Academia Cantabrigiensi, Decanus Dunensis, consecratus est episcopus Clonfertensis & Duacensis, in sacello Castri Dublinensis, Maii 4 1627. Obiit Kendalæ, in Westmorlandia, anno 1643, in ipso nempe opido quo natus est.

GUILIELMUS BAYLY.

Gvilielmus Bayly, Scotus, Glascoensis Academiæ alumnus, S. Theologiæ Doctor, ex Academia Oxoniensi, consecratus episcopus Clonfertensis & Duacensis Oxonii, Maii 2 1644, obiit Clonfertæ, 11 Augusti 1664, apoplexiâ correptus, & ibidem in ecclesia cathedrali sepultus est.

EDWARDUS WOLLEY.

Edwardus Wolleyus, Anglus, S. Theologiæ Doctor, Cantabrigiensis, *Caroli* 2 Regis sacellanus, designatus episcopus Clonfertensis & Duacensis, consecratus est Tuamæ, 16 Aprilis 1665, à *Samuele* Archiepiscopo Tuamensi, *Johanne* Elphinensi & *Thoma* Alladensi & Achadensi episcopis.

ERRATA.

PAg. 4. lin. 17, *leg.* Colganus, p. 9. l. 3, *dele* aliis 779, ib. l. 15, *pro* 779, *leg.* 879, p. 10 l. 10. pro 30, *leg.* 20, p. 25 l. 19 *post* 1543 *adde* consecratus, p. 37 lin. 27. *post* ecclesia *adde* cœnobii, p. 137 l. 12, *pro* nescio cujus societatis monachus, *lege* monachus Cistertiensis, p. 223 l. 26 *lege* plura.

Hæc observata nobis: Leviora, Lectoris æquitati permittimus.

FIN. S.